Digitized by Google



Ex Libris

Petri Adamoli

Regi à Consiliis, à portubus,
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi

·17 33·



Ex Libris
Petri Adamoli
Regi à Consiliis, à portubus,
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi.
·17 33·

A492395

Digitized by Google

A492395

VETERUM SCRIPTORUM DE RE RUSTICA PRÆCEPTA IN DIALOGOS COLLECTA

AB

ADRIANO KEMBTER
IN ECCLESIA WILTHINENSI CANONICO PRÆMONSTRATENSI
CÆSAR. REG. ROBOR. ET ELECT. BAVAR. ACAD. SOC.



SUPERIORUM PERMISSU.

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLX.

VILLE DE LYO
Biblioth. du Palais des

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidùs ordo.

Horat. de art. poet.

Digitized by Google

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
LEOPOLDO ERNESTO
S. R. I. PRINCIPI,
ET
EPISCOPO SECOVIENSI,

ACAD. SCIENT. LITT. ET. ART. LUGD.

CATHEDRALIS ECCLESIÆ SALISBURGENSIS
ET PATAVINÆ
CANONICO,
PER SUPERIOREM INFERIOREMQUE STYRIAM,
AC TRACTUM NEOSTADIENSEM
VICARIO GENERALI
EX
ILLUSTRISSIMIS S. R. I. COMITIBUS ET DOMINIS
DE FIRMIAN &c. &c.

PRINCIPI, AC DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO
D. D. D.

ADRIANUS KEMBTER
CAN. PRÆMONSTR.

Digitized by Google

PRINCEPS CELSISSIME!

Non auſim equidem hæc de re ruſtica præcepta Tuo Nomini nuncupare, ſi aut iisdem ab opera mea aliquod pretium feciſſem, aut officium vulgare foret ruris inſtituta tradere, aut ſtudium inane veterum ſcri-

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google



Ex Libris
Petri Adamoli
Regi à Consiliis, à portubus,
pontibus, transitibus que
urbis Lugdunensis ac
veteris Provinciæ, Summi,
·17 33·

Digitized by Google

A492395

Digitized by Google

Digitized by Google

A492395

VETERUM SCRIPTORUM
DE
RE RUSTICA
PRÆCEPTA
IN DIALOGOS COLLECTA

AB

ADRIANO KEMBTER
IN ECCLESIA WILTHINENSI CANONICO PRÆMONSTRATENSI
CÆSAR. REG. ROBOR. ET ELECT. BAVAR. ACAD. SOC.



SUPERIORUM PERMISSU.

SUMPTIBUS JOSEPHI WOLFF. MDCCLX,

VILLE DE LYO
Biblioth. du Palais des
Digitized by Google

Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis, æquam
Viribus, & verſate diu, quid ferre recuſent,
Quid valeant humeri: cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deſeret hunc, nec lucidús ordo.

Horat. de art. poet.

Digitized by Google

CELSISSIMO AC REVERENDISSIMO
DOMINO DOMINO
LEOPOLDO ERNESTO
S.R.I. PRINCIPI,
ET
EPISCOPO SECOVIENSI,

ACAD. SCIENT. LITT. ET. ART. LUGD.

CATHEDRALIS ECCLESIÆ SALISBURGENSIS
ET PATAVINÆ
CANONICO,
PER SUPERIOREM INFERIOREMQUE STYRIAM,
AC TRACTUM NEOSTADIENSEM
VICARIO GENERALI
EX
ILLUSTRISSIMIS S. R. I. COMITIBUS ET DOMINIS
DE FIRMIAN &c. &c.

PRINCIPI, AC DOMINO DOMINO
GRATIOSISSIMO
D. D. D.

ADRIANUS KEMBTER
CAN. PRÆMONSTR.

Digitized by Google

PRINCEPS CELSISSIME!

Non auſim equidem hæc de re ruſtica præcepta Tuo Nomini nuncupare, ſi aut iisdem ab opera mea aliquod pretium feciſſem, aut officium vulgare foret ruris inſtituta tradere, aut ſtudium inane veterum ſcri-

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Digitized by Google

ptorum de ea re monita colligere, aut novum inſuetumque collecta ſummorum in Republica virorum honori inſcribere: ſed cum mihi aut parum, aut nihil debeant, omnemque & ab argumenti dignitate & ſcriptorum auctoritate commendationem mutuentur, jam non eſt, ut Principis in omne literarum genus propenſiſſimi oculos ſubire reformident; etenim de cultura agri præcipere principale fuit & apud exteros; ſiquidem & reges fecere & duces (1), quos naturæ auctor velut tutores populi, cujus major pars cum Catone vitam agricultura ſuſtinet & parſimonia (2), inſtituit. Ob quam rationem nihil ſanctius Romano populo ejusmodi majorum ſuorum præceptis, quæ tum ex Græcis, tum ex Latinis ſcriptoribus collecta M. Cato Cenſorius, uterque Saſerna, Scrofa Tremellius, Terentius Varro & Junius Columella literis mandarunt, & ipſe ſenatus Magoni Pœno tantum honorem habuit Carthagine capta, ut, cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus de re ruſtica volumina duxerit in Latinam linguam transferenda

(1) Plin. hiſt. nat. L. XVIII. S. 5.

(2) Plutarch. in Cato maj.

Digitized by Google

da (3); quæ Caſſius Dionyſius in Græcam verſa Sextilio prætori, & Diophanes in ſex libros redacta miſit Deiotaro regi (4): velut & Plinius Secundus congeſtas ex antiquis ſcriptoribus naturæ opes Imper. Veſpaſiani Filio inſcripſit. Hos ego, aliquamdiu adminiſtrandæ agricolationis curam gerens, ſcientiæ fontes cum non ſolum ſæpius conſuluiſſem, ſed relata ad ſubſidium memoriæ in mea commentaria eorum præcipua capita jam prope in libellum adoleſcere, nec tamen aut materia, aut ſententiis necti conſpexiſſem, otium nactus in ordinem & dialogos coegi, hujusque familiaritate ſermonis tum varias obſervationes, tum contrarias etiam opiniones, propriis plerumque eorundem verbis contexui, cum meis nec eadem vis, nec fides, qua pollent eorum ſententiæ; addita quoque ſæpius ratione, quod multos ad genium Catonis inſtitutos non ignorarem, qui jam puer Sarpedonis pædagogi ſui dictis ita adhibebat fidem, ut tamen identidem poſceret

& cau-

(3) Plin. l. l.

(4) Varr. de re ruſt. L. I. c. 1.

& cauſam (5). Raro tamen ad moleſtiores diſceptationes deſcendi, contentus veterum philoſophia & communibus præceptis, velut decretis, non neſcius, legem brevem eſſe oportere, quæ jubeat, non diſputet (6). Et ſi quandoque etiam diffuſior, intra orbitas tamen priſcæ auctoritatis me continui, illius tantum præcepta recocturus, ſperans majorem me ingenio futurum, qui ad hodiernæ phyſicæ leges conditurus ſit nova. Hunc igitur non tam ingenii, quam induſtriæ partum, nec meis, ſed ſcriptorum illorum, in argumento fœcundo juxta ac jucundo, monitis commendandum, ſtudio quidem cultus Tui, Celsissime Princeps, Tibi conſecro, ac velut in manus trado, ut & ſub hujus tutela ab invidia ſecuritatem, & in argumento obſcuro & humili a ſplendore Nominis Tui accipiat lucem: qui ſupra candelabrum (7) & ſublimi hoc gradu poſitus ita effulges, ut non tam honoris amplitudo, quam decor virtutis & doctrinæ omnium

(5) Plutarch. l. l.
(6) Senec. Epiſt. 95.
(7) Matth. 5.

omnium bonorum oculos in ſe convertat, quibus ille religionis divinique cultus provehendi ardor, illa ſancta alienæ ſalutis cura, illud ſtudium veræ pietatis & doctrinæ Te magnum Eccleſiæ Antiſtitem: illa vera in adminiſtrandis civilibus rebus prudentia, illa oris gratia, totiusque corporis ſpecies, illa conjuncta cum ſeveritate hilaritas, cum gravitate comitas, cum dignitate humanitas Te Principem oſtentat, qui cum virtute & ſcientia etiam Muſas familiares habet, atque ob has raras & eximias animi dotes merito patriæ noſtræ decus compellatur. Plura ſcribere admiratio mea jubet, ſed vetat modeſtia Tua, ut quidquid nuper ore, nunc ſtylo omiſi, faciam animo. Hoc igitur perfuſus benignitatis Tuæ fonte munus ruſticum ad aras ſuſpendo tuas, quod multæ gentes etiam lacte tantum numinibus ſupplicent, & mola ſalſa litent, qui thura non habent (8). Nec erit indignum faſtigio Tuo donarium, ſi non tam ſui pretio, quam cultus in Te mei ſtudio patiaris æſtimari: quo-

(8) C. Plin. in paneg.

cum ſi me etiam in animum parte aliqua admittas beatum me dicam, Deumque veneror, ut tot inter tantaque animi bona ad patriæ noſtræ gloriam, ad TUORUM ſalutem, & ad propriorum meritorum incrementum quam diutiſſime felix ſoſpesque agas, & valeas.

Veldidenæ Calend. Octobr.

MDCCLIX.

CON-

Digitized by Google

CONSPECTUS DIALOGORUM.

DIALOGUS I.

De eruditione vitæ ruſticæ.

I. Occaſio ſermonis. II. Cauſa male adminiſtratæ œconomiæ in prædio. III. Res ruſtica ars magna & ſcientia eſt. IV. A magnis ſcriptoribus tractata. V. Qui in præſens utiliter leguntur. VI. Etſi res ruſtica hodie ab eruditis negligatur.

DIALOGUS II.

De dignitate vitæ ruſticæ.

I. De origine vitæ ruſticæ ab orbe & II. Urbe condita. III. Romæ vita ruſtica fuit potior urbana, tum IV. Ob rerum neceſſitatem, tum V. Ob majorem utilitatem in militia, tum VI. Ob morum probitatem, tum VII. Ob quœſtum honeſtiorem.

DIALOGUS III.

De quæſtu & emolumentis in re ruſtica.

I. E re ruſtica fructus multiplex. II. Minoris quœſtus cauſa culturæ neglectus. III. Colonorum ſocordia. IV. Prædiorum diviſio & exactio penſionum. V. Voluptas quæſita, non utilitas. VI. Terra hodie non minus, quam olim erat, fœcunda.

)( )(2 DIALO-

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

DIALOGUS IV.

De jucunditate vitæ ruſticæ.

I. Jucunditas vitæ ruſticæ oſtenditur ex mira naturæ fœcunditate in proferendis omnis generis fructibus. II. Ex penu domeſtica ſemper repleta. III. Exemplis ſummorum virorum. IV. Ex urbis moleſtiis. V. Virgilii & Horatii carmine.

DIALOGUS V.

Valetudini magis conſuli ruri, quam in urbe.

I. Auram ruri eſſe ſalubriorem. II. Veterum uſu & teſtimonio probatur. III. Exercitatio corporis valetudini neceſſaria & IV. Ruri opportunior. V. Ejus modi varii. VI. Menſa ruri frugalior. VII. Cibi ſimplices & VIII. Salubres. IX. Cibi multiplices multiplicium cauſæ morborum. X. Majorum noſtrorum cibus ſimplex fuit. XI. In urbe varius eſſe cœpit. XII. Cujus luxus damnatur & XIII. Laudatur ciborum ſimplicitas. XIV. Animum ruri eſſe liberiorem, XV. In urbe vero curis implicatum. XVI. Aſſidua ſui obſervatione. XVII. An & qualis philoſophia menſis adhibenda. XVIII. Sermonis libertas & XIX. Vacatio ab occupationibus atque XX. Multis odiis ruri agenti conceſſa laudatur.

DIALOGUS VI.

De cognitione fundi.

I. De lectione, imitatione & experientia in re ruſtica. II. De præſentia domini. III. De officio domini. IV. De opera aſſidue adhibenda. V. De triplici forma naturali fundi campeſtri, collina & montana. VI. De forma fundi artificioſa. VII. De modo fundi.

DIALOGUS VII.

De varia fundi, bonæ malæve terræ natura.

I. Varia fundi terræque natura. II. Quæ præſtabilior? III. Eſt æque fructuum diverſa natura, nec omnia terræ tribuenda. IV. Quæ ſit terra carioſa. V. Quæ dulcis & amara. VI. Quomodo dignoſcatur? VII. De aliis ſignis bonæ terræ. VIII. Quæ ſit terra tenera. IX. De ſapore terræ. X. Quæ terra optima.

DIALO-

DIALOGUS VIII.
De cœli ſalubritate.

I. Commendatur provinciæ noſtræ ſalubritas a temperata cœli plaga & II. Fructuum ubertate. III. Fundi ſalubritas præ cæteris æſtimatur tum IV. A ſitu villæ, tum V. Ab aeris ſalubris acceſſu, tum VI. Ex hominum pecorumque, nec non etiam fructuum ſpecie.

DIALOGUS IX.
De aqua.

I. Aquam in villa neceſſariam eſſe. II. Aquarum diverſitas. III. De aqua pluviali. IV. De aqua ex ciſternis, puteis, rivis, & amnibus. V. De aqua ex nativis fontibus. VI. De quibusdam miraculis aquarum. VII. Vitia aquarum ſunt limus & cœnum. VIII. De ſapore, odore & colore aquæ. IX. De levitate aquæ. X. De frigore aquæ. XI. De aliis ſignis bonæ malæve aquæ. XII. De aquarum ductibus.

DIALOGUS X.
De iis, quæ extra fundum ſunt.

I. Via commoda ad villam voluptati ſervit & II. Utilitati. III. Non tamen via publica. IV. Commoda ex bono vicino & V. Incommoda ex malo. VI. De oppido. VII. De flumine. VIII. De operariis.

DIALOGUS XI.
De materia ædificiorum.

I. Damna ex ſilvarum excidio. II. Quæ apta ædificiorum materia. III. Arborum cum homine affinitas. IV. Quomodo cædenda materia. V. Quo anni tempore. VI. An Lunæ habenda ſit ratio? VII. Lunæ virtus in quibusdam aliis obſervatur.

DIALOGUS XII.
De quarumdam arborum uſu & emolumentis.

I. De abiete & picea. II. De pino & pinaſtro. III. De larice. IV. De taxo. V. De alno. VI. De betula. VII. De fago. VIII. De quercu & robore. IX. De ilice & ſubere.

X. De Eſculo & fraxino. XI. De tilia, carpino & acere. XII. De populo. XIII. De ſalice. XIV. Voluptas ex arboribus. XV. Silvæ emolumenta. XVI. Unde lignorum penuria.

DIALOGUS XIII.

De lapidibus, lateribus, calce & arena.

I. Occaſio ſermonis de lapicidinis. II. De variorum lapidum uſu. III. De primis marmoris ſcalptoribus. IV. De bono & malo uſu marmoris. V. De variis dotibus marmoris. VI. De laterum inventoribus. VII. De materia laterum. VIII. De materia & uſu calcis. IX. De qualitate arenæ.

DIALOGUS XIV.

De partibus rei ædificatoriæ.

I. Quid ſit ordinatio & diſpoſitio. II. Quid eurythmia & ſymmetria. III. Quid decor & diſtributio. IV. Quæ ad regionem pertineant. V. Quæ ad aream requirantur. VI. Partitio in quibus conſiſtat. VII. De diverſis parietum generibus. VIII. De ornamentis parietum. IX. De columnarum officio & X. Generibus earum. XI. De conſervandis tectis & XII. Ornamentis eorum. XIII. De feneſtris. XV. De januis & ſcalis. XV. De fundamentis.

DIALOGUS XV.

De villa urbana.

I. Qua ætate ædificationi danda opera, II. Damnatur luxus ædificiorum. III. Laudatur moderatus decor. IV. De veſtibulo. V. De atrio. VI. De aliis in infima parte ædium. VII. De cellis ſubterraneis. VIII. De conclavibus & ſupellectili. IX. De culina. X. De pinacotheca. XI. De bibliotheca. XII. De muſeo.

DIALOGUS XVI.

De tabulario.

I. Tabularii utilitas. II. Origo. III. Structura. IV. Munditiones. V. Supellex. VI. Præfectus & ſcriba. VII. Eorum officia. VIII. De libris rationum. IX. De libris proventuum. X. De libris expenſorum. XI. De inſtruendo tabulario XII. Eccleſiaſtico & XIII. Civili. XIV. De libris ad tabularium pertinentibus. XV. De indicis neceſſitate. XVI. De pluribus indicibus conficiendis.

DIALO-

Digitized by Google

DIALOGUS XVII.

De villa ruſtica.

I. De ſitu ædium villici. II. De cubiculis & culina. III. De venuſtate & IV. Situ oporothecæ. V. De ſitu areæ. VI. De variis modis exterendi frumenta. VII. De ſtructura areæ. VIII. De nubilario.

DIALOGUS XVIII.

De granario.

I. De ſiris & puteis. II. De noſtris granariis. III. An frumenta ſint ventilanda? IV. De curculionibus & remediis contra eos. V. De ſitu & ſtructura granarii. VI. De opere Signino. VII. De virtute amurcæ. VIII. De aliis in granario obſervandis.

DIALOGUS XIX.

De ſupellectili ruſtica.

I. De ſitu horrei inſtrumentorum. II. De ordine in aſſervandis inſtrumentis cuſtodiendo. III. Magnum eſſe inſtrumentorum numerum. IV. De partibus currus. V. De inſtrumentis rei agrariæ. VI. De falce vinitoria. VII. De inſtrumentis rei pecuariæ. VIII. De ſupellectili culinæ.

DIALOGUS XX.

De ſtabulis & ſterquilinio.

I. Domi parantur ſtabula, in paſcuis caulæ. II. Lectio vulgaris Columellæ emendatur. III. De ſitu ſtabulorum. IV. De corte & ſtramentis. V. De piſcina. VI. Quis ſtercorationem invenerit? VII. De ejus neceſſitate. VIII. De ſtructura ſterquilinii. IX. De ejus materia. De diverſitate lætaminis.

DIALOGUS XXI.

De limitibus.

I. Quid ſint limites? II. De variis limitum ſignis. III. De ſacro dirimendorum finium. IV. Ejus origo. V. De ſignis hodiernis. VI. Quid rigor, cardo & decumanus.

VII.

VII. De arboribus & ſepibus. VIII. De dumis, vepribus, palis, viis, foſſis, & maceriis. IX. De rivis & jure alluvionis. X. De lapidibus. XI. De limitibus recognoſcendis. XII. De agrimenſoribus & conficienda totius prædii ichnographia.

DIALOGUS XXII.

De ſepibus.

I. De interſtitio ſepis. II. De commodis ſepis naturalis. III. Modus plantandi ſepem vivam ope ſeminis, IV. Per ſurculos & ſtolones. V. De ſepe agreſti ex palis. VI. De ſepe militari. VII. De ſepe fabrili & ejus ſpeciebus. VIII. De ſepimentis vivariorum.

DIALOGUS XXIII.

De villico.

I. Cur pauci prædia per villicum colant, II. Quem præ colono habere præſtet. III. Qui ad villici munus non idonei. IV. De ætate, conditione & experientia villici. V. De inſtitutione villici. VI. Soli naturam noſcat. VII. An aſtrologiam? VIII. De aliarum rerum notitia. IX. De religione & diſciplina. X. Quæ feriis agenda. XI. De fidelitate. XII. De officiis in famulos. XIII. Non ſit ambulator. XIV. De ſobrietate & continentia. XV. De cura pro ſanis & ægrotis. XVI. Familiam exerceat. XVII. Opera ruſtica ipſe curet. XVIII. Quæ mane agenda & veſperi. XIX. Alios inſtruat. XX. Selectum in miniſtris faciat. XXI. De aliis officiis ſtrictim.

DIALOGUS XXIV.

De reliquis villæ miniſtris.

I. Villica curet domeſtica negotia, II. Poſtquam matresfamilias ea defugiunt. III. De villicæ ætate & forma. IV. Mulieres exteras non frequentet. V. Sobria ſit. VI. Domi ſe continens curet negotia. VII. Domeſtica, VIII. Supellectilem & apothecam. IX. De aliis ejus officiis ſtrictim. X. Ratio famulorum hodie alia, quam apud Romanos. XI. An præſtet ſingulis operibus præficere ſingulos miniſtros. XII. De corporis & animi habitu quorumdam. XIII. Cur tam magnus aſſumatur pecoris numerus. XIV. In re cibaria & veſtiaria parum hodie ſervire veterum præcepta.

DIALOGUS

DIALOGUS I.

DE ERUDITIONE VITÆ RUSTICÆ.

PHILOMUSUS. EURASIUS. URBANUS.

ARGUMENTUM.

I. *Occaſio ſermonis.*

II. *Cauſa male adminiſtratæ œconomiæ in prædio.*

III. *Res ruſtica ars magna, & ſcientia eſt.*

IV. *A magnis ſcriptoribus tractata.*

V. *Qui in præſens utiliter leguntur.*

VI. *Etſi res ruſtica hodie ab eruditis negligatur.*

Philom. Siſte, ſiſte Euraſi, niſi parum proſpiciunt oculi, Urbanum video, demiſſo capite, contracta fronte, fixis in terram oculis ad nos flectentem gradus, aureſque noſtras quotidianis querelis repleturum. Euras. An hic ille Urbanus, olim congerronum omnium lepidiſſimus, gratiis plenus, Muſis omnibus charus, facultatibus potens: nunc re- I. *Occaſio ſermonis.*

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

rum ſuarum negligens, in urbe dictus philoſophus, quod antiquis fere tantum ſcriptoribus adhibeat fidem. PHILOM. Is ipſe eſt. EURAS. Sed iſta facies & macies cujusdam mali eſt index: an hominem habet morbus? PHILOM. Habet graviſſimus. EURAS. Quis obſecro, an crudelis illa articulorum, aut ischiadis carnificina? PHILOM. Interius malum eſt, ab imo pectoris proficiſcens. EURAS. Fortaſſe febris cor adurit? PHILOM. Omni febri malignius: corpus enim, & animum afficit: perniciosiores autem ſunt animi, quam corporis morbi; nam, ut Ennius ait, animus æger ſemper errat. EURAS. Quod igitur ei eſt nomen? PHILOM. Latinum nondum habet: Græce georgicophobiam poſſes compellare. EURAS. Novum morbi genus eſt, Galeno & Hippocrati ignotum. Nullane ſpes in medicina? PHILOM. Nulla: noſtram enim non admittit, Græcam, aut Romanam non invenit. Tu forte præ cæteris poſſes agreſte & domeſticum ex Varrone & Columella ſubminiſtrare pharmacum. EURAS. Et cur non ex Vegetii arte veterinaria? Ludis nempe me: cupio tamen veterem amicum tanto levare malo. PHILOM. Ergo compone vultum, & ſume perſonam, ne ſentiat rem de compoſito agi. EURAS. Fabulæ partes lubens agam. Sed - - - Urbanum ſanum, ſalvumque etiam atque etiam eſſe jubemus. URB. Jubeatis igitur, &, ut votis reſpondeat eventus, velim, qui deam Salutis vobis magis propitiam precor. PHILOM. Nec tibi abeſſet, ſi manu noſtra tam dare, quam optare foret. Quem autem affers parum ſecundum nuncium? URB. Aut manus mihi inferam, & majorum meorum viſcera diſcerpam, aut familiam noſtram confici patiar, neceſſe eſt. EURAS. Avertant Superi! Philomuſe, tenemus morbum: furor eſt, quem Græci in Athamante, Ajace, & Oreſte melancholiam vocarunt, nos vero hanc animi ægritudinem cum Cicerone *Lib. III. Tuſc. quæſt.* appellamus

infa-

inſaniam. Philom. O te omni inſano inſaniorem! non advertis georgicophobiæ malo affectum allegorias loqui? Euras. Eſt ſingulare hoc inſaniæ genus, quod non totam mentem adimit, ſed unam partem animi lædens cæteras relinquit integras. Philom. Tu vero non parte, ſed tota mente captus es. Urb. Et ego non partem, ſed omnes ſpes noſtras, patris delicias, avi theſaurum, majorum domicilium, avitum familiæ patrimonium vili pretio cum Crate abjiciam. Euras. En! rerum copia discruciatur. Urb. Immo inopia, cum cavendum jam mihi, ne ampliſſimi prædii heres fame peream. Philom. Non igitur mirum, ſi hodie tam exſuccus, quaſi cum cicadis rore tantum paſtus eſſes. Urb. Jam cicadam ala corripuiſti, ut moleſtiſſime obſtrepam, nova afflictus clade. Philom. Quid ergo eſt novæ rei? Urb. Noveris paternum illud meum prædium, ex quo majores ſingulis annis bis mille tulerant, primo pro mille quingentis, dein pedetentim minori ſemper, ac minori pretio, ac demum pro ſexcentis conductori extero elocaſſe. Philom. Dolens memini, nec ſine gemitu, & admiratione. Urb. Nudius quintus denique internecina clade proſtratus ſum, quo conductor ille fundo in futuros annos deſtructo, ut ajunt, ſupellectili ruſtica ſublata, equis & pecoribus abactis, omnique fœni & frumenti apparatu vendito, nec ſoluta a duobus annis penſione, exceſſit, erupit, evaſit. Philom. Perditum caput! Urb. Nunc vero opus ingenti philoſophia. Euras. Oeconomia potius. Urb. Hæc corporis, illa Tullio teſte *Lib. III. Tuſc. quæſt.* animi medicina, cujus auxilium non ut in corporis morbis petendum eſt foris: omnibusque opibus, viribusque, ut noſmet ipſi nobis mederi poſſimus, elaborandum eſt. Philom. An uxor quoque, & liberi hac philoſophia paſcuntur? ego quoque iisdem, ſumptu utique minori, Ciceronem, aut Senecam nitidiſſimæ editionis compararem. Urb. Id vero

minime. Philom. His igitur proſpiciendum. Urb. Quo conſilio, niſi ut inviſum diu prædium cum curis agreſtibus omnibus divendam? Philom. Tune avitum prædium familiæ a majoribus tanto pretio comparatum, tot curis cuſtoditum, tot laboribus excultum, tot deliciis exornatum venditare? Urb. Non ego delicias, non quœſtum, ſed curas, lachrymas, & rei familiaris jacturam, quæ ex hoc prædio imminet, amandaturus ſum. Horreo enim, metuo, fugio luctuoſum rei ruſticæ quœſtum, miſeram illam, & indignam vitam, mihi, rebusque meis ſemper inimicam. Philom. Agnoſcis morbum, Euraſi, quem georgicophobiam dixi. Euras. Agnoſco. Sed tu, Urbane, an eandem cum majoribus in colendo prædio rationem tenuiſti? Urb. Minime quidem; illi enim rebus conſtanter præſentes aderant: agros per villicum, famulosque colebant: ego urbanæ vitæ amicus, omnis vero adminiſtrandæ rei familiaris, ac maxime ruſticæ, non ſolum ignariſſimus, ſed prope inimicus, conductorem conſtitui, ut recepta ab eodem annua penſione curis domeſticis ſolutus liberius meis ſtudiis vacarem. Euras. Vaſtatorem aſſumpſiſti, non conductorem. Urb. Videbatur homo ad ſordes usque parſimoniæ deditus, ac miſeratione dignus, qui pecore ad minorem numerum redacto, fæno, ſtramine, immo & ſtercore vendito, fecundos quoque fructus improbo labore ex eodem agro quotannis colligebat. Euras. Et paſſus es fundum his tantis cladibus ad ſupremum vocari exitium, queis hoſtis haud poſſet pernicioſiorem vaſtitatem inferre? Urb. Non ſolum non repugnabam, ſed probabam etiam induſtriam, & de penſione ſingulis annis remittebam, videns plus ſeminum ſpargi, minus fructuum colligi, conjecta in fundi ſterilitatem, aut cœli intemperiem culpa. Euras. O te non ſolum ad ſcientiam ruſticam cæcum, ſed & in iis, quæ cerni poſſunt, hebetem, vecordem, ac extremi ingenii homi-

II. Cauſa male adminiſtratæ œconomiæ in prædio.

Digitized by Google

hominem! Et hic ipſe demum conductor diſtracta ſupellectili, pecoribus, fæno, & frumento aufugit? Urban. Ipſiſſimus. Euras. Iniquiſſimum, & non una cruce dignum flagitium! video ſiquidem ingens, nec niſi ingenti ſumptu reſtituendum, rerum tuarum detrimentum. Urb. Abſit, abſit funeſtum conſilium: hodie potius dimittendum inviſum prædium, etſi tenuiſſimo pretio æſtimandum; horreo enim, averſorque rem omnem ruſticam, ac ut illi manum, aut animum adjicere valeam. Philom. Obſecro te, Urbane, per te, tuosque, ut non manum quidem rei ruſticæ, ſed aures tantum Euraſio in agricolationis ſtudio non parum verſato accommodes. Urb. Aures quoque ſatis teneræ, & delicatæ ſunt, Philomuſe, qui diu jam in illa hæreſi, ut nullum fere præter veteres auctores audiam, a cæteris non minore religione temperans, quam Judæus a carne ſuilla. Euras. Conditionem hanc ſubeo, ut, quæ ad vitæ ruſticæ commendationem, inſtitutionemque dicturus ſum, ex antiquis fere tantum Græcis Romanisque ſcriptoribus, quoniam cæteros profanos eſſe ducis, conquiram: verbis quoque eorundem plerumque uſurus, velut lignis & lapidibus, qui noſtris aut aliorum animadverſionibus ad conſtructionis formam tanquam cæmento committantur, Philomuſo rude ac crudum opus ſuis veneribus exornante ceu ſpiritu, & vita. Urb. Iſtorum quidem nomine jam charior mihi es, Euraſi, ut de hoc inviſo, ac ab omni elegantia alieno argumento diſſerturum minus moleſte feram. Euras. Ego vero ſatis moleſte fero, quod rem ruſticam ab omni eruditionis elegantia alienam eſſe dicas, de qua M. Varro *de Re Ruſtica Lib.* 1. *c.* 3. pronunciavit, quod non modo ſit ars, ſed etiam neceſſaria, ac magna ſcientia, quæ docet, quæ ſint in quoque agro ſerenda, ac facienda, quæque terra maximos perpetuo reddat fructus. Uberius id ipſum Columella illuſtravit: at ego, inquiens, cum aut magnitudinem to-

III. *Res ruſtica ars magna & ſcientia eſt.*

tius rei, quaſi quamdam vaſtitatem corporis, aut partium ejus, velut ſingulorum membrorum numero recenſeo, vereor, ne ſupremus ante me dies occupet, quam univerſam diſciplinam ruris poſſim cognoſcere. Nam, qui ſe in ſcientia perfectum volet profiteri, ſit, oportet, rerum naturæ ſagaciſſimus, declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet: ſiderum ortus, & occaſus memoria repetat, ne imbribus, ventisque imminentibus opera inchoet, laboremque fruſtretur. Cœli, & anni præſentis mores intueatur: neque enim ſemper eundem, velut ex præſcripto, habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æſtas, aut hiems: nec pluvium ſemper eſt ver, aut humidus autumnus; quæ prænoſcere ſine lumine animi, & ſine exquiſitiſſimis diſciplinis non quemquam poſſe crediderim. Jam ipſa terræ varietas, & cujuslibet ſoli habitus, quid nobis neget, quid promittat, paucorum eſt intelligere. *Col. Lib.* I. *præf.* Urb. Multa dicit probabilitate aliqua, & veriſimilitudine. Et nihil ultra? Euras. Allatis aliis exemplis proſequitur: poſt hanc tam multam, tamque multiplicium rerum prædicationem non me præterit, ſi, quem deſideramus agricolam, quemque deſcribimus, exegero a participibus agreſtium operum, tardatum iri ſtudia diſcentium, qui tam variæ, tam vaſtæ ſcientiæ deſperatione conterriti, nollent experiri, quod ſe aſſequi poſſe diffident. Verumtamen quod in oratore jam M. Tullius rectiſſime dixit: par eſt eos, qui generi humano res utiliſſimas conquirere, & perpenſas exploratasque memoriæ tradere concupierunt, cuncta tentare: nec ſi vel illa præſtantis ingenii vis, vel inclytarum artium defecerit inſtrumentum, confeſtim debemus ad otium, & inertiam devolvi, ſed quod ſapienter ſperavimus, perſeveranter confectari: ſummum enim culmen affectantes ſatis honeſte vel in ſecundo faſtigio conſpiciemur.

Col.

Digitized by Google

Col. loc. laud. Urb. Si tam vaſta, tam ingenioſa agriculturæ ſcientia, quis demum ad eandem idoneus? Euras. Poteſt, ejusdem ſcriptoris ſententia, nec ſubtiliſſima, nec rurſus, quod ajunt, pingui Minerva res agreſtis adminiſtrari: nam illud procul vero eſt, quod plerique crediderunt, facillimam eſſe, nec ullius acuminis ruſticationem. *Col. loc. laud.* Urb. Quid ergo abjecta tantum ingenia huic rei manum admovent? Euras. Immo ſumma animum adjecere, & calamum: Varro certe & Columella ſeptuaginta aliquot eruditiſſimos Græcos enumerat, qui rem ruſticam ſuis litteris illuſtrarunt, quos inter ex poëtis Heſiodus: ex philoſophis Ariſtoteles & Theophraſtus. Et ut agricolationem Romana tandem civitate donemus, ſcribit Columella, jam nunc M. Catonem Cenſorium illum memoremus, qui eam Latine loqui primus inſtituit: poſt hunc duos Saſernas, patrem & filium, qui eam diligentius erudierunt; ac deinde Scrofam Trebellium, qui eam eloquentem reddidit: & M. Terentium, qui expolivit: mox Virgilium, qui carmine quoque potentem fecit. Nec poſtremo quaſi pædagogi ejus meminiſſe dedignemur, Julii Hygini. Non minorem tamen laudem meruerunt noſtrorum temporum viri Cornelius Celſus, & Julius Atticus; quippe Cornelius totum corpus diſciplinæ quinque libris complexus eſt: hic de una ſpecie culturæ pertinentis ad vites ſingularem librum edidit: cujus velut diſcipulus duo volumina ſimilium præceptorum de vineis Julius Græcinus compoſita facetius & eruditius, poſteritati tradenda curavit. *Col. loc. laud.* Nos vero his omnibus Columellam ipſum, Plinium Secundum, & Palladium adjungimus, illum quidem Latini ſermonis nitore, iſtum rerum copia & ubertate, hunc præceptorum utilitate oppido commendandum. Vides igitur, rem ruſticam nec ſterilitate materiæ, nec eruditionis inopia, nec eruditorum ſcriptorum numero laborare. Urb. Quis ne-

IV. *A magnis ſcriptoribus tractata.*

get

get hos magnos eſſe melioris Latii proceres? magni habentur ob ſermonis venuſtatem, non ob materiæ utilitatem. EURAS. Id ipſum eſt, quod queror, verba a te æſtimari, non argumentum. URB. Quia illa ad eruditionem faciunt, & elegantiam. EURAS. Hoc vero ad uſum, & utilitatem. Et quid vetat, una mercede utrumque aſſequi? URB. Uſum forte ipſimet ignorabant. EURAS. Haud ſcio: Cato, qui tam præclare de vita ruſtica ſcripſit, eandem multa voluptate exercuit. M. T. Varro anno ætatis octogeſimo jamjam profecturus e vita, neceſſariis ſuis prodeſſe cupiens, non ſolum dum viveret, ſed & cum periiſſet, tres libros conſcripſit; & quidem, ut ipſus fatetur, ex tribus radicibus: & quæ ipſe in ſuis fundis colendis animadvertit, & quæ legit, & quæ a peritis audivit. J. Columella a puero vitæ ruſticæ deditus, adeo ut agriculturam vocet profeſſionem ſuam. Plinius Secundus A. Gellii teſtimonio *Lib. IX. c. 4. Noct. Attic.* vir in temporibus ætatis ſuæ, ingenii, dignitatisque gratia, auctoritate magna præditus. Æmil. Palladius ipſus ſuos fundos coluit *Lib. IV. T.* 10. cui Caſſiodorus *Div. lect. c.* 28. teſtimonium dixit: Æmilianus explanatos duodecim libros de hortis, vel pecoribus, aliisque rebus planiſſima lucidatione diſſeruit. Hi igitur minime rerum ignari erant. URB. Primi tamen erant: ſunt autem plerumque rudia, & imperfecta prima rudimenta, aut quæ primo litteris mandantur. EURAS. Hos præceſſit, ut dixi, magna turba Græcorum, a Varrone & Columella laudata, quorum alii Attici, alii Rhodii, alii Thaſii, alii Mileſii, alii Siculi, ex ipſis ſapientiæ fontibus orti, ex quorum commentariis Romani ſcriptores multa præcepta hauſerunt. Igitur de cultura agri præcipere principale fuit & apud exteros, ſcribit Plinius *L. XVIII. Sect.* 5. ſiquidem & reges fecere, Hiero, Philometor Attalus, Archelaus, & duces Xenophon, & Pœnus etiam Mago:

V. *Qui in præſens utiliter leguntur.*

Mago: cui quidem tantum honorem ſenatus noſter habuit Carthagine capta, ut cum regulis Africæ bibliothecas donaret, unius ejus duo de triginta volumina cenſeret in latinam linguam transferenda, cum jam M. Cato præcepta condidiſſet: peritisque linguæ Punicæ dandum negotium. Urb. Multa me voluptate perfundit, quod cum cætera fere omnia, quæ ad civilem vitam & humanitatem faciunt, Græcis Romanisque tribuimus, iisdem etiam agricolationis inſtitutionem debeamus: vereor tamen, ne pleraque ab iis tradita, aut vana ſint, aut falſa, aut certe noſtro ſolo, aut cœlo minime convenientia. Euras. Sunt quædam, fateor, a veritate aliena, quædam vanitate, & ſuperſtitione plena, quædam regionis noſtræ conditioni non accommoda, aut prorſus ignota: non propterea vero rejicienda omnia, cum plurima nihilominus rebus noſtris maxime opportuna. Hæc igitur ad uſum, vana falſaque ad riſum facient. Tuam vero hanc objectationem jam cum Tremellio reſponſo prævenit Columella *l. l.* excuſans Pœnos, qui talia plura tradiderunt, quod Italiæ & Africæ ſolum, cœlumque diverſæ naturæ nequeat eosdem proventus habere; hæc tamen, inquiens, quæ propter diſciplinam ruris noſtrorum temporum cum priſcis diſcrepant, non deterrere debent a lectione diſcentem; nam multo plura repeciuntur apud veteres, quæ nobis probanda ſunt, quam quæ repudianda. Multa diverſa, adverſa etiam a moribus armisque noſtris occurrunt in Thucydide, Polybio, & Livio, nec tamen ſine fructu hodie leguntur a ducibus, ſi cum judicio: ita ſaluberrima ſcriptorum rei ruſticæ præcepta cum magna utilitate evolves, ſi judicium in conſilium adhibeas. Urb. Sunt multa alia, quæ ingenia noſtra provocant ad magis dignas & amabiles curas, ac ut hoc plebejo ſtudio vim genio ſuo inferant. Euras. Vim genio ſuo, & Reipubl. injuriam inferunt, dum VI.

ruſtica hodie ab eruditis negligatur.

illum voluptate magna, hanc maxima utilitate defraudant: neque enim aliud ſtudium liquidiore voluptate ſuos cultores paſcit, nec ipſa natura uberioribus, ac ad quotidianum uſum magis neceſſariis fructibus nos noſcit paſcere, ac qui e re ruſtica proficiſcuntur, & prima æſtate, aut autumno ſe ſe exerunt; cum cæteræ artes ſuas ſpinas, laboremque conſtanter oſtentent; & tamen tot laboribus, tot vigiliis, tot ſumptibus quæruntur, licet pauci ſint, qui poſt aliquot annorum decurſum ſperatos fructus decerpunt. In memoriam revoca, quæ a prima juventute ſeries laborum, quæ rerum impendia in victum, in veſtitum, in libros, in artis inſtrumenta, in magiſtros? & adhuc mea meſſis in herba eſt, & procul a meta: nihilominus quisque mavult agello paterno cedere, quam ingenio: & inter pulveres confici, quam parum ſapere videri. Quam quidem miſerrimam ſervitutem non damnaturus venio, querelis tamen, & ſuſpiriis indulgere liceat, artes cæteras coli, & excoli tot laboribus, tot ſumptibus emi, hanc unam ab eruditis ignorari, & negligi. Quantus enim, nec tamen improbo, aut invideo, eſt ad levia quædam tentamina, aut prima rudimenta in pretioſiſſimis inſtrumentis philoſophiæ apparatus? quam ſplendidus in medicina? quis in jurisprudentia librorum theſaurus? quot anni in iis terendis volvuntur? Latini ſermonis gratia, carminum amore, illuſtrandæ tum civilis, tum naturalis hiſtoriæ deſiderio excutiuntur (nec tamen ſine præcipua laude, & fructu) Græci, Romanique ſcriptores, omnes numi, lapides, laminæ, inſcriptiones, & apices litterarum ad examen vocantur: omnes viæ, valles, montes, fluvii inveſtigantur: & cum priſci ævi odoramus veſtigia, Superi! quæ tum exultatio, qui triumphi, quæ encomia? & laudo, nec invideo: ſed præcipuas regionis divitias, quibus vivimus, & nutrimur, rem ruſticam, inquam, quæ certo pars quædam philoſophiæ, ac conſanguinea ſapientiæ eſt, ut Columella *l. I.*

teſtatur,

teſtatur, neglectam jacere doleo, ut ne veteres quidem de illa ſcriptores, niſi Latini ſermonis gratia, noſtro oculo dignemur. - Urb. O te albæ & agreſtis mentis hominem! qui velut in oratoria, geometria, arithmetica, muſica, comica, ſaltatoria, architectonica, & nautica arte magiſtros adhibemus, ita ruſtici quoque ſtudii præceptores aſſumi deſideras. Euras. Atqui ego ſatis mirari non poſſum, reponit Columella, quid ita dicendi cupidi ſeligant oratorem, cujus imitentur eloquentiam? menſurarum & numerorum modum rimantes placitæ diſciplinæ conſectentur magiſtrum? vocis & cantus modulatorem, nec minus corporis geſticulatorem ſcrupuloſiſſime inquirant ſaltationis, ac muſicæ rationis ſtudioſi? jamque qui ædificare velint, fabros & architectos advocent, qui navigia mari concredere, gubernandi peritos? qui bella moliri, armorum, & militiæ gnaros? Et ne ſingula perſequar, ei ſtudio, quod quisque agere velit, conſultiſſimum rectorem adhibeat? denique animi ſibi quisque formatorem, præceptoremque virtutis e cœtu ſapientum arceſſat? ſola res ruſtica, quæ ſine dubitatione proxima, & quaſi conſanguinea ſapientiæ eſt, tam diſcentibus egeat, quam magiſtris? *Col. L. I. præf.* Urb. Quia in cæteris artibus majorem invenimus honeſtatem & difficultatem, capimusque & utilitatem, & voluptatem majorem. Euras. Et qua ratione ſcientia quædam jucunda animo, quæ ars noſtris & Reipubl. commodis opportuna, uſu decora, aut ſtudiis noſtris digna videri poſſet, ſi ejus non ſolum inſtitutionem, ſed etiam conditionem, ac emolumenta ignoremus? aut quis poſt veteres illos Romanos ſcriptores rei tam honeſtæ, tam utilis, tam neceſſariæ cauſam ant defendendam, aut illuſtrandam ſuſcepit? Urb. Deſertam igitur ab eruditis cauſam age, & artis tam præſtantis natales ab origine repete; quæ, ſi nihil ad augendum patrimonium, forte tamen ad levandum

animi mœrorem conferet. Euras. Ego vero me non id tantum, ſed ſi nulla ſiniſtra opinione præventus æquo animo aures mihi præbeas, conſecuturum ſpero, ut non ſolum minus ab agrorum cultura abhorreas, verum etiam læſæ cauſæ facilius remedium invenias.

DIALOGUS II.

DE
DIGNITATE VITÆ RUSTICÆ.

ARGUMENTUM.

I. *De origine vitæ ruſticæ ab orbe, &*

II. *Urbe condita.*

III. *Romæ vita ruſtica fuit potior urbana, tum*

IV. *Ob rerum neceſſitatem, tum*

V. *Ob majorem utilitatem in militia, tum*

VI. *Ob morum probitatem, tum*

VII. *Ob quæſtum honeſtiorem.*

I. *De origine vitæ ruſticæ ab orbe*

Euras. Ut igitur errorem, quo es implicatus, ejicias, ac de vita ruſtica mitius ſentias, ante omnia ortum progreſſumque ejus exponam. Cum duæ vitæ traditæ ſint hominum, ſcribit Varro *de R. R. L. III. c.* 1. ruſtica & urbana, dubium non eſt, quin hæ non ſolum loco diſcretæ ſint, ſed etiam tempore diverſam origenem habeant: antiquior enim multo ruſtica: quod fuit tempus, cum rura colerent homines, neque urbem haberent. Philom. Probe reſpondet ſacræ hiſtoriæ Varronis ſententia: cum enim rerum omnium ſapientiſſimus opifex, condito hoc pulcherrimo naturæ regno, primum hominem præeſſe voluiſſet, ratione prorſus mirabili domicilium & regiam ejus dignitati convenientem, & jucunditate omnia ſuperantem, tanquam opus ſuis ipſiusmet manibus excitatum,

& velut

& velut ſedem beatæ vitæ, hortum nempe illum voluptatis conſtituit. URB. Mallem & ego illius, præ prædio meo, ſpectator eſſe, & inter florum delicias aut oculus fieri cum Argo, aut naſus cum Catullo. PHILOM. Sed non conſtituit tanquam inutilem ſpectatorem, qui oculus tantum, aut nares afferret, ſed ut operaretur, & cuſtodiret illum. *Gen.* 2. Ab hoc horto voluptatis admiſſo crimine, quod lethali contagione in omnes poſteros transfuſum eſt, ejectus, terram tamen, etſi ſpinas & tribulos germinaturam, juſſus eſt colere, non urbem ædificare, & oppida, ut in ſudore vultus ſui & laboribus comederet panem. Eandem vitæ rationem poſt diluvium tenuerunt poſteri, tum in Ægypto, tum in Chananæa, ut ruſticæ artis beneficio in anguſta fere provincia innumerus populus aleretur. URB. Tum autem nobilitatis nulla ratio ducebatur. PHILOM. Nec tamen indignum cœlo viſum, hunc a grege ovium ad regendum populum, aut a pera vocare ad ſceptrum. Eadem diſciplina tum apud Aſſyrios, tum apud Perſas viguit, ut ſatrapæ agris bene cultis, aut neglectis, præmiis afficerentur, aut pœnis; quæ ipſa veterum Ægypti regum velut præcipua cura, ita fons tantarum divitiarum, quibus alias gentes ſuperabant, fuit. URB. Græcorum, Romanorumque philoſophia mihi magis arridet. EURAS. Vetuſtiſſimum Græciæ oppidum Thebæ Bœotiæ ſunt; a quarum origine, ſi tempus referas ad illud principium, quo agri coli cœpti ſunt, atque in caſis & tuguriis habitabant, nec murus, nec porta quid eſſet, ſciebant, immani numero annorum urbanis agricolæ præſtant. Nec mirum, quod divina natura dedit agros, ars humana ædificavit urbes, cum artes omnes dicantur in Græcia intra mille annorum repertæ: agri nunquam non fuerint in terris, qui coli poſſint. *Varr. L. III. c.* 1. Romanorum vero populum a paſtoribus eſſe ortum, quis non dicit? II. *& Urbe condita.*

dicit? quis Fauſtulum neſcit paſtorem fuiſſe nutricium, qui Romulum & Remum educavit? non ipſos quoque fuiſſe paſtores obtinebit, quod parilibus potiſſimum condidere urbem? non idem, quod multa etiam nunc ex vetere inſtituto bubus & ovibus dicitur? & quod æs antiquiſſimum, quod eſt flatum, pecore eſt notatum? & quod urbs, cum condita eſt, tauro & vacca, qui eſſent muri, & portæ, definitum? & quod populus Romanus, cum luſtraretur, ſuouitaurilibus circumaguntur verres, aries, taurus? & quod nomina multa habemus ab utroque pecore? *Varr. L. II. c. 1.* Poſt hæc recenſens Porcium, Ovinium, Caprilium, Equitium, Taurum, Vitulum, aſſerit, multos alios a pecudibus nomen familiæ aſſumpſiſſe. Cognomina etiam prima inde, ſcribit Plinius *L. XVIII. S* 3. Pilumni, qui pilum piſtrinis invenerant: Piſonis a piſendo. Jam Fabiorum, Lentulorum, Ciceronum, ut quisque aliquod optime genus ſereret: Juniorum familiæ Bubulcum nominaverunt, qui bubus optime utebatur. Urb. Non jejuni ſunt, aut omnis eruditionis inopes rei ruſticæ natales. Euras. Nec tamen omne hujus vitæ genus ſimul & ſemel caput extulit, ſed ordine quodam, & pro exigentis naturæ neceſſitate; nam, ut denuo Varro teſtatur, ſummus gradus fuit naturalis, cum viverent homines ex iis rebus, quæ inviolata ultro ferret terra. Ex hac vita in ſecundam deſcendiſſe ſcribit, nempe paſtoriciam, e feris, atque agreſtibus, ut ex arboribus, ac virgultis decerpendo glandem, arbutum, mora, pomaque colligerent ad uſum: ſic ex animalibus cum propter eandem utilitatem, quæ poſſent, ſilveſtria deprehenderent, ac concluderent, & manſueſcerent. In queis primum non ſine cauſa putant oves aſſumptas, & propter utilitatem, & propter placiditatem; maxime enim hæ natura quietæ, & aptiſſimæ ad naturam hominum; ad cibum enim lac & caſeum adhibitum,

ad

ad corpus veſtitum & pelles contulerunt. Ex duobus gradibus ſuperioribus retinuerunt multa, & quo deſcenderant, ibi proceſſerunt longe, dum ad nos perveniret. *Varr. L. II. c.* 1. Eundem vitæ ordinem ab initio in Græcia obſervatum fuiſſe ex Dicæarcho oſtendit, ut ſuperioribus temporibus homines paſtoriciam vitam agerent, neque ſcirent etiam arare terram, aut ſerere arbores. *Varr. L. I. c.* 2. velut apud Romanos multo ſerior vitium cultura eſſe cœpit, primoque, ut neceſſe erat, arva tantum coluere. *Plin. L. XVIII. S.* 5. Progreſſu enim temporis artes perficiuntur, & ob inventarum rerum copiam & varietatem in plures partes dividuntur, ut etiam hujus diſciplinæ innumerabiles eſſe dixerit Varro *L. I. c.* 5. Urb. Agnoſco antiquitatem hujus vitæ, haud raro tamen contingit, ut, quod inſtitutione primum, fructu & honeſtate aliquando fiat poſtremum. Euras. Neque ſolum antiquior cultura agri, verum etiam melior. *Varr. L. III. c.* 1. Et in hoc eadem naturæ majeſtas tanto plures bonos genuit, ac frugi, quanto fertilior in iis, quæ juvant, aluntque: quorum æſtimatione & gaudio nos quoque, relictis æſtuationi ſuæ iſtis hominum turbis, pergemus excolere vitam, eoque conſtantius, quo operæ nobis major, quam famæ gratia expetitur. Quippe ſermo circa rura eſt, agreſteſque uſus, ſed quibus vita honosque apud priſcos maximus fuerit. *Plin. l. l. S.* 1. Hodie tamen publice concepta & confirmata vulgaris exiſtimatio, rem ruſticam ſordidum opus, vereorque, ne flagitioſa, & quodammodo pudenda, aut inhoneſta videatur ingenuis. *Col. l.* 1. *præf.* At majores noſtri longe aliter exiſtimabant, cum proceres civitatis in agris morabantur: & cum conſilium publicum deſiderabatur, e villis in ſenatum, & ab aratro arceſſebantur, qui conſules fierent. *Cicer. Orat. pro Roſc.* Urb. Præpoſtere: aut quo temporis ævo hæc intemperies? Philom. Dum

III. *Romæ vita ruſtica fuit potior urbana,*

Dum populus pauper, dum nova Roma fuit.
Dum caſa Martigenam capiebat parva Quirinum,
Et dabat exiguum fluminis ulva thorum.
Jupiter anguſta vix totus ſtabat in æde,
Inque Jovis dextra fictile fulmen erat.
Frondibus ornabant, quæ nunc, Capitolia, gemmis,
Paſcebatque ſuas ipſe ſenator oves.
Nec pudor in ſtipula placidam cepiſſe quietem,
Et fœnum capiti ſuppoſuiſſe fuit.
Jura dabat populis poſito modo conſul aratro,
Et levis argenti lamina crimen erat.

Ovid. L. I. Faſt.

Euras. Jam diſtinctio honosque civitatis ipſius non aliunde erat. Ruſticæ tribus laudatiſſimæ eorum, qui rura haberent: urbanæ vero, in quas transferri ignominiæ eſſet, deſidiæ probro. Itaque quatuor ſolæ erant, in quibus habitabant, Suburbana, Palatina, Collina, Exquilina. Nundinis urbem reviſitabant, & ideo comitia nundinis haberi non licebat, ne plebs ruſtica avocaretur. Quies, ſomnusque in ſtramentis erant. *Plin. l. l. S.* 3. Philom. Hinc iterum Ovidius *L. III. Faſt.*

Aſpice de canna, ſtraminibusque domum.
In ſtipula placidi capiebant munera ſomni:
Et tamen ex illo venit in aſtra thoro.

Euras. Gloriam denique ipſam a farris honore adoream appellabant. *Plin. l. l.* cum dona populi ampliſſima quartarii, aut heminæ farris fuerint. Nundinarum etiam conventus manifeſtum eſt propterea uſurpatos, ut nonis tantummodo diebus urbanæ res agerentur, reliquis adminiſtrarentur ruſticæ. *Col. L. I. præf.* Pluribus propterea ſcriptorum monumentis admoneor, apud antiquos fuiſſe gloriæ curam ruſticationis: ex qua Quinctius Cincinnatus obſeſſi conſulis, & exercitus liberator ab

ab aratro vocatus ad dictaturam venerit, ac rurſus faſcibus depoſitis, quos feſtinantius victor reddiderat, quam ſumpſerit imperator, ad eosdem juvencos, & quatuor jugerum avitum herediolum redierit. *Idem l. l.* Urb. Et hic ex agro vocatus ad ſummam imperii? Euras. Ibi a legatis, ſeu foſſam fodiens bipalio innixus, ſeu cum araret, operi certo agreſti intentus, ſalute data invicem, redditaque rogatus, ut togatus mandata ſenatus audiret, admiratus, rogitansque, ſatin' ſalva eſſent omnia, togam propere e tugurio proferre uxorem Reciliam jubet: qua, ſimul abſterſo pulvere, ac ſudore, velatus proceſſit, *Liv. L. III. c.* 26. Itemque C. Fabricius, & Curius Dentatus, alter Pyrrho finibus Italiæ pulſo, domitis alter Sabinis, accepta, quæ viritim dividebantur, captivi agri ſeptem jugera non minus induſtrie coluerit, quam fortiter armis quæſierat. *Col. l. l.* Curio ad focum ſedenti magnum auri pondus Samnites cum attuliſſent, repudiati ab eo ſunt; non enim aurum habere præclarum ſibi videri dixit, ſed eis, qui haberent aurum, imperare. *Cicer. de ſeneſt.* Attilium denique illi, qui miſſi erant, ſua manu ſpargentem ſemen, convenerunt. *Cic. pro Roſc.* Hic ille eſt Attilius Regulus, qui cum aliquot præliis contra Carthaginenſes proſpere pugnaſſet, ſucceſſorem ſibi a Senatu deſignandum petiit, quod ejusdem ſeptem jugerum agellus defereretur, ut ſibi haud eſſet, unde uxor aleretur, aut filiæ collocarentur in matrimonium. Quæ poſtquam Senatus a conſule accepit, & agrum alii villico colendum locari, & alimenta conjugi ejus, ac liberis præberi, resque, quas amiſerat, redimi publice juſſit. *Epit. Liv. L. XVIII. Senec. de conſol. Val. Max. L. IV.* Itaque ex minima, tenuiſſimaque Republica maximam & florentiſſimam, ſcribit Tullius nobis reliquerunt; ſuos enim agros ſtudioſe colebant, non alienos cupide appetebant; quibus rebus, & agris, & urbibus,

De Re Ruſtica. C &

& nationibus Rempubl. atque hoc imperium, & Populi Romani nomen auxerunt; ut adeo apud majores noſtros ſummi viri, clariſſimique homines, qui omni tempore ad gubernacula Reipubl. ſedere debebant, tamen in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporisque conſumpſerint. *Cicer. pro Roſc.* Isque mos dum ſervatus eſt perſeverantiſſimus colendorum agrorum ſtudio, veteres illi Sabini Quirites, ataviqueRomani, quamquam inter ferrum, & ignes, hoſticisque incurſionibus vaſtatas fruges, largius tamen condidere, quam nos, quibus diuturna permittente pace prolatare licuit rem ruſticam. Atque adeo vera illa Romuli proles agreſtibus operibus exercitata ſemper ruſticam plebem præpoſuit urbanæ. *Col. L. I. præf.*

IV. *Tum ob rerum neceſſitatem,* URB. Quo autem animi conſilio factum fuiſſe autumas, ut ruſtici urbanis civibus præferrentur? EURAS. Id ego & majoris neceſſitatis, & utilitatis, & honeſtatis hujus vitæ nomine conſtitutum fuiſſe video; nam ut aliæ diſciplinæ vitam exornant, ita ruſtica tuetur, atque conſervat, & quodammodo vitam ipſam in vita retinet: velut enim ſubacta & mollita agricolarum labore tellus benigne frugibus reſpondet, ſic deſerta a cultu ſterileſcit. Ex quo ſit, ut nihil nobis relinquatur, unde, quæ ad victum comparandum, depellendamque famem ſunt neceſſaria, conquirere queamus; nec enim ſedentibus, ac torpeſcentibus nobis dii copiam rerum de cœlo profundent. Quapropter viri magni majores noſtri non ſine cauſa præponebant ruſticos Romanos urbanis; ut ruri enim, qui in villa vivunt, ignaviores, quam qui in agro verſantur, in aliquo opere faciundo: ſic, qui in oppido ſederent, quam qui rura colerent, deſidioſiores putabant. Itaque annum ita diviſerunt, ut nonis modo diebus urbanas res uſurparent, reliquis ſeptem, ut rura colerent. Quod dum ſervaverunt inſtitutum, utrumque ſunt conſecuti, ut & cultura agros fœcundiſſimos

diſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent. *Varr. L. II. præf.* Nec ſine cauſa ex agris redigebant ſuos cives, quod & in pace a ruſticis Romanis alebantur, & in bello ab his tuebantur. *Id. L. III. c.* 1. Primo igitur agricolarum pacis tempore neceſſarium, honeſtumque officium; ob id ſalutis publicæ ſtudioſiſſimus Numa Pompilius, ut civitas affluentia abundaret, agrum omnem diviſit, præfecitque pagis ſingulis ſingulos magiſtratus, inſpectores & cuſtodes ſuæ quosque partis; hi enim circumeuntes aſſidue, bonos & malos deſcribentes agricultores regi deferebant, isque laudibus proſequens diligentes agricolas, & comitate complectens, ſegnes autem & ignavos opprobriis, mulctaque inſectans, ad colendos agros melius quemque invitabat. *Dionyſ. Halicar. L. II.* Ancus vero Martius eosdem denuo negligi conſpiciens hortatus eſt, ut honeſtam & moderatam per juſtiſſima opera exhibentem quotidianam cuique abundantiam iterum revocarent. *Idem L. III.* Quæ lex Populo Romano diu ſancta, firmaque fuit, ut agrum male colere cenſorium probrum judicaretur, atque quem virum bonum colonum dixiſſent, ampliſſime laudaſſe exiſtimabant. *Cat. præf.* Hinc & locumpletes dicebant, loci, hoc eſt, agri plenos. Pecunia ipſa a pecore appellabatur. Etiam nunc in tabulis cenſoriis paſcua dicuntur omnia, ex quibus populus reditus habet, quia diu hoc ſolum vectigal fuerat. *Plin. L. XVIII. S.* 3. Vides igitur, Urbane, Reipubl. & communis neceſſitatis ſtudio ruſticos cæteris civibus pluris fuiſſe habitos, quia, ut bene advertit Columella *L. I. præf.* etſi rhetoricæ, geometriæ, muſicæ, aliarum artium profeſſoribus, vel, quod magis mirandum eſt, contemptiſſimorum vitiorum officinis, guloſius condiendi cibos, & luxurioſius fercula ſternendi, capitum, & capillorum concinnatoribus, civitas egeret, tamen, ſicut apud priſcos, florere poſſet Respu-

 blica;

Digitized by Google

blica; nam ſine ludicris artibus, atque etiam ſine cauſidicis, olim ſatis felices fuere, futuræque ſunt urbes: at ſine agricultoribus nec conſiſtere mortales, nec ali poſſe manifeſtum eſt. Urb. Fateor abundare urbem opificiis, officinis, magiſteriis, omnique genere officiorum, quæ non tam ad neceſſitatem, ad voluptatem tamen faciunt, & Reipubl. utilitatem, ut ex iis conſcribi miles poſſit. Euras. Romanorum de hoc hominum genere ad militiam comparando te latet judicium: nam dum populi Romani memorabiles duces in memoriam revocamus, hoc ſemper duplici ſtudio floruiſſe conſpicimus, vel defendendi, vel colendi patrios quæſitosque fines; qui luxuriæ & deliciis noſtris vetus mos, virilisque vita jam diſplicet; cum omnes, ſicut M. Varro jam conqueſtus eſt, falce & aratro relictis intra murum correpſimus, & in circis potius, ac theatris, quam in ſegetibus & vinetis, manum movemus. At me hercle vera illa Romuli proles aſſiduis venatibus, nec minus agreſtibus operibus exercitata firmiſſimis prævaluit corporibus, ac militiam belli, cum res poſtulavit, facile ſuſtinuit, durata pacis laboribus, ſemperque ruſticam plebem præpoſuit urbanæ. *Col. l. I.* quoniam ex agricolis & viri fortiſſimi, & milites ſtrenuiſſimi gignuntur. *Cat. præf.* cum locorum aſperitas hominum quoque ingenia duret, *Curt. L. VII.* ut ſub diuo & in laboribus enutriti hiemem, & æſtatem juxta pati, humi quieſcere, eodemque tempore inopiam, & laborem tolerare poſſint. *Saluſt. Bell. Jugurth.* fortior ſiquidem miles e confragoſo venit; ſegnior eſt urbanus, laſciviæ ſuetus, laborum intolerans, & quanto pecunia & voluptatibus opulentiores, tanto magis imbelles. *Tacit. L. I. & II. Annal.* A contrario nullum laborem recuſant manus, quæ ad arma ab aratro transferuntur. In primo deficit pulvere ille unctus, & nitidus. Severior loci diſciplina firmat ingenium, aptumque magis

V. *Tum ob majorem utilitatem in militia,*

magis conatibus reddit. *Senec. Epiſt.* 51. Et ideo opificum vulgus, & ſellularii minime militiæ idoneum genus. *Liv. L. VIII. c.* 20. Piſcatores, aucupes, dulciarios, linteones, omnesque qui aliquid tractaſſe videbuntur ad gynæceum pertinens, longe arbitror repellendos a caſtris, cum illi e contra minus mortem timeant, quo minus deliciarum noverunt in vita. *Veget. L. I.* Urb. Ipſus ego montanos noſtros ruſticos corporis robore, habitu, formaque viri, atque tota membrorum compoſitione prævalere illi opificum turbæ cenſeo: & ad defendendos patriæ fines iisdem nec vires, nec fidem, nec animum deeſſe, & hoc & prioribus ſeculis conſpeximus, maxime ſi ad arma condoceſacias. Euras. Rem tenes, nam, ut ſcribit Vegetius *L. III. c.* 26. paucos viros fortes natura procreat, bona inſtitutione plures reddit induſtria; cum enim ad omnes artes perficiendas uſu aliquo & exercitio opus ſit, haud mirum, quod etiam in prælio non tam multitudo, & virtus indocta, quam ars & exercitium ſoleant præſtare victoriam. Urb. Præferrem tamen domeſtico militem exterum. Philom. Haud ita Romanis viſum, quia hic & civibus, & ærario gravis, & fide, & officio inferior: ille vero & amore, & reverentia potior: Principem, patriasque ſedes velut rem ſuam tuetur. Euras. Iis vero, quæ nunc dicturus ſum, te offendi, Urbane, non ignoro, qui totus urbanis negotiis deditus ruris mores deſpicis, quos Romani maxime innocuos ducentes urbanæ vitæ ſemper præferebant. Etenim, ut paulo ante ex Catone monui, virum bonum cum laudabant, ita laudabant: bonum agricolam, bonumque colonum: ampliſſime laudari exiſtimabatur, qui ita laudabatur. Urb. Cur iſtud? Euras. Eo quod vita hæc maxime disjuncta a cupiditate, & cum officio conjuncta; cum in ruſticis moribus, in victu arido, in hac horrida incultaque vita magna malefi-

VI. *Tum ob morum probitatem,*

cia gigni haud ſoleant, ut non omnem frugem, atque arborem in omni agro reperiri poſſis: ſic non omne facinus in omni vita naſcitur. In urbe luxuries creatur, ex luxuria exiſtat avaritia, neceſſe eſt: ex avaritia erumpat audacia, inde omnia ſcelera, ac maleficia gignantur. Vita autem hæc ruſtica parſimoniæ, diligentiæ, juſtitiæ magiſtra eſt. *Cicer. pro Roſc.* URB. Agricolas aurei temporis reliquias credam. EURAS. Profecto, nam, qui terram colerent, piam & utilem agere vitam credebant, atque eos ſolos reliquos eſſe ex ſtirpe Saturni regis. *Varr. L. III. c.* 1. URB. Fabula eſt, in contemptum urbanæ vitæ conficta. EURAS. Quis dubitat? velut & de vetere illa paræmia: urbanus nil boni cogitat. Sed tamen, qui degunt in urbibus propter contagia negotiorum & hominum aſtutiores fiunt: cum contra illis, qui in agris agunt, ſit fides certior, animus ſincerior, ac religio ſanctior. URB. Qui illud? EURAS. Urbem adi, vide, luſtra, quid in ea, niſi curæ, turbæ, tumultus, procellæ, ſolicitudines, cupiditates, quæ animum inficiunt, atque depaſcunt? circumſtrepunt enim te ſubito res, hominesque, & negotium non ſolum tua negotia facient, ſed aliena: mille laboribus, officiis, ſudoribus & operis alienis res noſtræ tum neceſſariæ, tum jucundæ & quæritandæ ſunt, & emendæ, adulterinæque divitiæ doloſis artibus comparandæ. At qui vitam ſuam agris mandaverunt, liberum, ſecurumque a ſtrepitu fori, ab aulæ officiis, a ſalutationibus importunis, a temporis furibus, labores tamen inter exercent otium, quorum ſe magis ad alta tollit animus, cum ſolutus, & ſui juris videt ſuum cœlum, ſuus cuique labor ſuam explet cum voluptate inopiam: una cogitatio, cura una agri probe colendi, otium cæteris, aut ſupervacaneis, aut improbis ſolicitudinibus nullum indulget. Nihil eorum, quibus impotens hominum libido pretium facit, aut in honore, aut

amore

amore eſt: ſed natura, quæ ipſa hic colitur, ſingulis pro neceſſitate proſpicit: & ideo ſimplex hæc, & innocua vita nec aliena appetit, nec ſua profundit, nec maceratur invidia, nec exulceratur iracundia, nec turgeſcit ſuperbia, nec ſimultates ſuſcipit, nec odia exercet: luxus, & libido exulat, ſimplicitas vero & innocentia ſine fuco, ſine fraude, & pietas in patriam, & juſtitia in cives, & fides in Principem, & religio in Superos viget, caletque ſemper. PHILOM. Bene iſthæc Hippolytus apud Senecam, aut quisquis illius tragœdiæ auctor eſt Act. II. Sc. 2.

Non alia magis eſt libera, & vitio carens,
Ritusque melius vita quæ priſcos colat,
Quam quæ relictis mœnibus ſilvas amat.
Non illum avaræ mentis inflammat furor,
Qui ſe dicavit montium inſontem jugis:
Non aura populi, & vulgus infidum bonis,
Non peſtilens invidia, non fragilis favor
Non ille regno ſervit, aut regno imminens
Vanos honores ſequitur, aut fluxas opes,
Spei, metusque liber. Haud illum niger
Edaxque livor dente degeneri petit:
Nec ſcelera populos inter, atque urbes ſita
Novit, nec omnes conſcius ſtrepitus pavet.
Haud verba fingit. Mille non quærit tegi
Dives columnis: nec trabes multo inſolens
Suffigit auro: non cruor largus pias
Inundat aras; fruge nec ſparſi ſacra
Centena nivei colla ſubmittunt boves:
Sed rure vacuo potitur, & aperto æthere
Innocuus errat.

EURAS.

VII. *Tum ob quæſtum honeſtiorem.*

Euras. Hanc vitæ innocentiam comitatur æque honeſtus, atque ab omni criminis labe remotus quœſtus, quamvis re ipſa vita ruſtica nullum ſciat, fructum autem eum ſolum, quem labore peperiſſet. *Cicer. pro Roſc.* adeo ut Romani ſub Numa liberati bellis negotiisque urbanis omnes coloni fierent, divitiasque terræ omnium juſtiſſimas, militari copia nihil firmi habente, dulciores arbitrarentur: nec non ſub Ancò Martio agricultura & nutritione pecudum modeſtam induſtriam exercerent. *Dionyſ. Halicar. L. II. & III.* Omnium autem rerum, ex quibus aliquid acquiritur, nihil eſt agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius. *Cicer. L. I. de offic.* Ex quo maxime pius quœſtus conſequitur, minimeque invidioſus, minimeque male cogitantes ſunt, qui in eo ſtudio occupati ſunt. *Cat. in præf.* Cum enim rei quærendæ & augendæ plures ſint viæ, hæc una eſt, cujus lucra nullo ſunt conjuncta periculo, nullam habent ignominiam, nullas ſordes. Pariunt aliæ artes artificioſas quasdam, doloſoque ſtudio quæſitas opes: agricultura veras, & ipſius naturæ largitate natas: cum contra mercatorum quœſtus periculoſus, fœneratorum parum honeſtus, opificum illiberalis. Urb. Quid igitur de mercatoribus, & fœneratoribus ſentis? Euras. Eſt interdum præſtare, fateor, mercaturis rem quærere, ni tam periculoſum fiet: & item fœnerari, ſi tam honeſtum fiet. Majores enim noſtri ſic habuerunt, & ita in legibus poſuerunt, furem dupli condemnari, fœneratorem quadrupli. Quanto pejorem civem exiſtimarint fœneratorem, quam furem, hinc licet exiſtimari. *Cat. in præf.* Fœnoris ſiquidem juſti vocabulo veteres non utebantur, niſi de proventu terræ, quæ velut gratiſſima debitrix pro ſingulis granis aliquot centèna reddit; cum contra naturam ſit, ut pecunia pecuniam pariat. Urb. Prodeſt tamen & debitoribus fœneratio. Euras. Eſt tamen his

his inviſa, quibus ſuccurrere videtur. *Col. L.* 1. *præf.* Urb. Victoriæ bellique fructus decerpere certo glorioſius. Euras. Niſi æquius exiſtimamus cepiſſe ſprædam ex militia, quæ nobis nihil ſine ſanguine & cladibus alienis affert. *Col. l. l.* Urb. Quid igitur de magnis negotiatoribus? Euras. An bellum peroſis maris & negotiationis alea ſit optabilior, & rupto naturæ fœdere terreſtre animal homo, ventorum & maris objectus iræ, ſe fluctibus audeat credere, ſemperque ritu volucrum longinqui littoris peregrinus ignotum pererret orbem? *Col. l. l.* Urb. Cauſarum forenſium patronum agere quid dignius? Euras. Sed ne caninum quidem, ſicut dixere veteres, ſtudium præſtantius, locupletiſſimum quemque adlatrandi, & contra innocentes, ac pro nocentibus, neglectum a majoribus, a nobis etiam conceſſum intra mœnia, & in ipſo foro latrocinium. *Col. l. l.* Urb. Gratum liberaleque adulatorum, atque paraſitorum hoc ævo officium. Euras. An honeſtius duxerim, mercenarii ſalutatoris mendaciſſimum aucupium circumvolitantis limina potentiorum, ſomniumque regis ſui rumoribus inaugurantis? neque enim roganti, quid agatur intus, reſpondere ſervi dignantur. *Col. l. l.* Urb. Feliciores igitur, qui honores ſectantur. Euras. An putem fortunatius a catenato repulſum janitore ſæpe nocte ſera foribus ingratis adjacere, miſerrimoque famulatu per dedecus faſcium decus & imperium, profuſo tamen patrimonio, mercari? nam nec gratuitæ ſervituti, ſed donis rependitur honor. Quæ ſi & ipſa, & eorum ſimilia bonis fugienda ſunt, ſupereſt unum genus liberale, & ingenuum rei familiaris augendæ, quod ex agricolatione contingit. Cujus præcepta ſi vel temere ab indoctis, dum tamen agrorum poſſeſſoribus, antiquo modo adminiſtrarentur, minus jacturæ paterentur res ruſticæ; nam induſtria dominorum cum ignorantiæ detrimentis multa

penſaret: nec quorum commodum ageretur, tota vita vellent imprudentes negotii ſui conſpici, eoque diſcendi cupidiores agricolationem pernoſcerent. *Col. l. l.* Urb. Et unde hæc mala? Euras. Nunc ipſi prædia noſtra colere dedignamur, & nullius momenti ducimus peritiſſimum quemque villicum facere: vel ſi neſcium, certe vigoris experrecti, quo celerius, quod ignoret, addiſcat. Quæ cum animadvertam, ſæpe mecum retractans ac recogitans, quam turpi conſenſu deſerta exoleverit diſciplina ruris, vereor, ne flagitioſa, & quodammodo pudenda, aut inhoneſta videatur ingenuis. Quo magis prodigii ſimile eſt, quod accidit, ut res corporibus noſtris, vitæque utilitati maxime conveniens, minimam usque in hoc tempus conſummationem haberet, idque ſperneretur genus amplificandi, retinendique patrimonii, quod omni crimine caret; nam cætera diverſa, & quaſi repugnantia diſſident a juſtitia. *Col. l. l.*

DIALOGUS III.

DE QUOESTU & EMOLUMENTIS IN RE RUSTICA.

ARGUMENTUM.

I. *E re ruſtica fructus multiplex.*

II. *Minoris quæſtus cauſa culturæ neglectus.*

III. *Colonorum ſocordia.*

IV. *Prædiorum diviſio, & exactio penſionum.*

V. *Voluptas quæſita, non utilitas.*

VI. *Terra hodie non minus, quam olim erat, fœcunda.*

I. *E re ru-* Urb. Quæ tu heri pro rei ruſticæ ubertate & ſcriptoribus Romanis

Romanis prædicaſti, ornata quædam oratio eſt, & mentis contemplatio, ſed ab uſu rerum & experientia aliena: ſi enim copioſum adeo ex agris meteremus fœnus, ruſticos noſtros oporteret eſſe ditiſſimos, & me cum illis. Sed cum & plerique eorum redigantur ad incitas, ego vero centeſimam unciam ægre referam, verba eſſe video, quæ mihi dediſti.

ſtica fructus multiplex.

EURAS. Te quidem, Urbane, in exemplum duci poſſe haud arbitror, qui fundum non colere, ſed exhaurire, conductorem locupletare, te peſſumdare conſtituiſti, eidem non fœnus tantum, ſed fundum funditus deſtruendum concredens. Te enim ipſo auctore didici, majores tuos, qui fundum per villicum coli curantes rebus præſentes aderant, prope quincunces retuliſſe. Quibus tuis verbis adhibeo fidem; quoniam in prædio tam amplo & bene culto, ut tuum erat, quotidiana, quamvis ſingula modica, naſcuntur commoda, villis minoribus minime communia: ex quibus progreſſu temporis res noſtra familiaris amplificari mirum in modum poteſt, adeo ut quævis anni tempora, menſes & dies velut naturæ tributa perſolvere, ſol & ſidera, atque omnia demum elementa, vigente ſemper, atque nunquam fatiſcente officio, in agriculturæ felicitatem adlaborare videantur. Vix enim miteſcere incipiunt hiberna frigora, quas nobis non illa benigna mater prægnans fœcundo ſinu effundit in hortis florum, olerumque virentium, nec exiguo ære conſtantium, divitias? pecudum quanta copia, porcellorum, ſubrumorum, agnorum, vitulorum lactentium in ſtabulis? in gallinario quid non promittunt gallinæ, pulli pullaſtræ, capones? in columbario columbæ, & pipiones? in chenoboſcio anſeres, anatesque? Aperiente ſe æſtate quam multi arborum fructus, quam variæ ex hortis herbæ, olera, legumina in foro venduntur? Quid jam meſſe ipſa uberius? quæ non in omni frumenti genere natu-

ræ largitas? Quid non bona fide creditum enixa reddit in tot lini, avenæ, hordei, ſiliginis, & tritici jugeribus? his collectis jam onuſtæ ſuis opibus ſe ſe nobis offerunt vites, & omnis generis arbores. Mox piſcinæ, aucupium, & venatio non exiguos pendunt fructus. Nec ipſa horrida hiems emolumentis eſt ſterilis, qua butyrum, caſeus, mel, pecora ſaginata, linum, lana, ligna cæſa multo pretio venduntur, ut nil jam dicam de ovis, lacte, ejusque flore, de lactucis, radicibus, leguminibus aliisque commodis, quæ ex tam magno prædio, urbi vicino, ad quotidianum uſum neceſſaria, metuntur. Itaque ex municipiis Romanis patresfamilias optatiſſimum ſibi putabant, filios ſuos rei familiari maxime ſervire, & in prædiis colendis operam multam conſumere, quas divitias & delicias conductor tuus deſtructo in aliquot ſequentes annos fundo exhauſit. URBAN. Et unde hæc tanta clades?

II. *Minoris quæſtus cauſa culturæ neglectus.*

EURAS. Pecore ad minorem numerum redacto, fœno, ſtramentis, ipſoque lætamine vendito, atque ſecundis etiam fructibus omnis fœcunditas ſolo ſubducitur, ut non ſolum paulo poſt duplo minus fructuum reddat, ſed & altero tanto ſeminum indigeat, demum vero etiam penitus enervetur. Nil jam dicam de negligenti aratione agrorum, aut aquatione pratorum, de ſilvis exciſis, de exiguo effœti pecoris numero, de inſtrumentis deſtructis, de ſepibus, muris tectisque non reparatis, & quæ ſunt alia minora quidem, ſed quia plurima, plurimum tamen detrimenti afferunt. URB. Damnas igitur fundi elocandi rationem?

III. *Colonorum ſocordia.*

EURAS. Si ipſus rebus adeſſe poſſis, damno maxime, velut damnavit Columella *L. 1. præf.* noſtro potius, inquiens, accidere vitio, qui rem ruſticam peſſimo cuiquam ſervorum, velut carnifici, noxiam dedimus, quam majorum noſtrorum optimus quisque optime tractaverit. URB. Noſtra igitur præſentia ager reddetur fœcun-

cundior? Euras. Aut certe villicus fidelior; quamvis nec prius illud pia quadam ſuperſtitione ductus neget Plinius *L. XVIII. S.4.* quænam ergo, quærens, tanta ubertatis cauſa erat? ipſorum tum manibus imperatorum colebantur agri, gaudente terra vomere laureato, & triumphali aratore: ſive illi eadem cura ſemina tractabant, qua bella, eademque diligentia arva diſponebant, qua caſtra: ſive honeſtis manibus omnia lætius proveniunt, quoniam & curioſius fiunt. At nunc eadem illa vincti pedes, damnatæ manus, inſcripti vultus exercent: non tamen ſurda tellure, quæ parens appellatur, colique dicitur & ipſa: honore his abſumpto, ut non invita ea & indignata id credatur fieri. *Plin. l. l.* Ipſimet igitur nobis hæc commoda ſubtrahimus, dum aut ſpe præſentis lucri fundos penſione & ſupra vires majori, quæ non niſi deſtructo fundo præſtari paucis annis poteſt, aut viliſſimo conductori elocamus, ut propterea Columella *L. I. præf.* quidquid nobis proventuum dilabitur, ab hac mala noſtra adminiſtratione profectum opinetur. Præterea alienigenas aut e longinquo venientes nunquam admittendos eſſe cenſeo, poſtquam L. Voluſium aſſeverantem audivi, patrisfamilias feliciſſimum fundum eſſe, qui colonos indigenas haberet, & tanquam in paterna poſſeſſione natos, jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. *Col. L. I. c. 7.* non ſolum quod plus ſcientiæ & experientiæ habeant in hoc fundo, ſed plus etiam fidei & reverentiæ in dominum. Philom. Favet huic conſilio Claudianus:

Felix qui propriis ævum tranſegit in arvis,
Ipſa domus puerum, quem videt ipſa ſenem.

Urb. Memini olim non inopes ſolum cives, ſed & opulentos parum utilitatis cepiſſe e re ruſtica, redactosque ad incitas rus reliquiſſe: quis ergo his, feliciſſimo illo ævo, ſubtraxit emo-

lumenta? EURAS. Iidem ipſi exteri, & peſſimi coloni: cum enim bello Punico finito omnes relicto aratro, creſcente in immenſum luxu, in urbem ipſa felicitate ſua jam laborantem corrépſiſſent, agroſque ſervis barbaris colendos dediſſent, peſſum ibat omne commodum. PHILOM. Lucanus certe *L. I. Pharſal.* haud eſt veritus hanc peſſimam culturæ rationem inter cauſas ruentis imperii afferre:

> Paupertas fugitur, totoque arceſſitur orbe,
> Quo gens quæque perit. Tunc longos jungere fines
> Agrorum, & quondam duro ſulcata Camilli
> Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones
> Longa ſub ignotis extendere rura colonis.

IV. *Prædiorum diviſio & exactio penſionum.*

URB. Cur vero ipſi noſtri ruſtici, etſi fundis ſuis ſedulo, diligenterque inſtent, facultatibus non tantum parum proficiunt, ſed labuntur etiam, ut prædiis ſuis cedere cogantur? EURAS. Id quidem minime terræ vitio, ſed temporum, diverſorumque caſuum injuriæ tribuendum cenſeo: ea enim eſt regionis noſtræ conditio, ut ob fundorum anguſtias vires reſumere ægre poſſit, qui ſemel majus ab adverſa fortuna accepit detrimentum, quale aut funeſta incendia, aut eluviones, aut pecorum lues, aut grandines & pruinæ etiam ditioribus inferunt. Communis autem, proximaque difficilioris hodie œconomiæ cauſa eſt, quod villæ cum fundis in tot partes, quot liberi, & alii heredes, plerumque ſcindantur, aut pro lubitu vendantur minutatim, ut, quod juſtum olim unius filii erat herediolum, in nepotibus jam plurium familiarum æquum ſit patrimonium, oneribus decimarum, tributorum, clientelæ, & multo ære alieno ſæpe in unum rejectis, qui, etſi totum fundum poſſideret, iis præſtandis ægre par eſſet. Si quis vero etiam in prædii, aut partis illius poſſeſſionem mittitur, frequenter jam ita obæratus accedit, ut ipſus potius victum,

ſumptus

Digitized by Google

ſumptus & operam quincuncibus uſuris emat, ac ut fœnus recipere poſſit. Iisdem difficultatibus luctantur, qui hæreditario quidem jure, aut parentum voluntate prædium adeunt; ex quo tandundem legitimæ partis nomine cæteris liberis exſolvant, nullo alio poſſeſſionis beneficio, ac quod tot rationibus atque nominibus obnoxii, ut iis expungendis annui proventus ægre ſufficiant. Accedit & illud, quod tributa, penſiones &c. in ſingulos annos fundis & prædiis ruſticis, nec non vectigalia mercibus ad rem maxime ruſticam neceſſariis fere imponantur: o quam æquum, bonumque foret, ſi exactiones iſtæ mercibus ad luxum & voluptatem tantum facientibus, negotiatoribus, & fœneratoribus irrogarentur! Urb. Sufficiebant duo jugera, & ſat dives erat Respubl. cum a Romulo viritim divideretur ager Romanus. *Varr. L. I. c.* 10. Euras. Quam multi etiam ex noſtris ſe felices dicerent, ſi ſinguli bina jugera ſine ære alieno poſſiderent. Sed cum plures gravi ære ſint obruti, quid mirum, ſi urgentibus ſemper ſortem uſuris amplum etiam patrimonium tot ſumptus non ſuſtineat? Id ipſum illis contingit, qui prædia cariori pretio coemunt, ac ut iis fructus reſpondere poſſint. Hujus rei autem non a rei ruſticæ ſterilitate, ſed nominum multitudine petenda eſt ratio; videmus enim eos, qui ære alieno ſunt liberati, ex fundo etiam non magno, non exiguas rei familiaris facere acceſſiones, non alio utique quam terræ beneficio. Habent enim agricolæ rationem cum terra, quæ nunquam recuſat imperium, nec unquam ſine uſura reddit, quod accepit, ſed alias minore, plerumque majore cum fœnore. *Cicer. de ſeneƈt.* Urb. Miſerum profecto fœnus, quot tot laboribus, nullis deliciis conſtat. Euras. Perfecti agricolæ ad duas metas dirigere debent, ad utilitatem, & voluptatem: utilitas quærit fructum, voluptas delectationem. Priores partes agit, quod

quod utile eſt, quam quod delectat. Nec non ea, quæ faciunt honeſtiorem agrum: pleraque non ſolum fructuoſiorem eundem faciunt, ut cum in ordinem conſita ſunt arbuſta, atque oliveta: ſed etiam vendibiliorem, atque adjiciunt ad fundi pretium; nemo enim eadem utilitate non, formoſius quod eſt, emere mavult pluris, quam ſi eſt fructuoſus turpis. *Varr. L. I. c.* 3.

V. *Voluptas quæſita, non utilitas.*

Verum hæc ipſa non minus gravis, quam frequens eſt diminutorum proventuum cauſa, dum prædia noſtra non tam utilitati, quam voluptati, quæ omni charybdi voracior, ſervire jubemus, hortis maxime & ædificiis pretioſis. Fructuoſior eſt certe fundus propter ædificia, ſcribit Varro, ſi potius ad antiquorum diligentiam, quam ad horum luxuriam dirigas ædificationem: illi enim faciebant ad fructuum rationem: hi faciunt ad libidines indomitas. Itaque illorum villæ ruſticæ erant majores, quam urbanæ, quæ nunc pleræque contra: illic laudabatur villa, ſi habebat culinam ruſticam bonam, præſepias laxas &c. Idem cætera ut eſſent in villa hujuſcemodi, quæ cultura quæreret, providebant. Nunc contra villam urbanam quam maximam, ac politiſſimam habeant, dant operam. *Varr. L. I. c.* 13. Et *L. II. in præf.* ſcribit, quod hac ſua ætate non putent ſe habere villam, ſi non multis vocabulis Græcis particulatim loca eſſent diſtincta, qualia procœtium, palæſtra, apodyterium, periſtylium, ornithon, periſtereon, oporotheca. Villarum igitur olim alia facies, atque adeo alia etiam emolumenta: nec tamen ingrata oculis, velut de prædio Scrofæ Varro *L. I. c.* 2. teſtatur, quod fundi ejus propter culturam jucundiore ſpectaculo ſint, quam regie polita ædificia aliorum, cum hujus ſpectatum veniunt villas, non ut apud Lucullum, ut videant pinacothecas, ſed oporothecas. Urb. Nihil igitur commoditati noſtræ tribuis? Euras. Commoditati plurimum: ſed non omnia voluptati.

Modus

Modus hic probatur, inquit Plinius *L. XVIII. S. 7.* ex Catone, ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Quærit autem fundus villam, cum villa minor, quam modus fundi exigat: quærit villa fundum, cum major eſt villa, quam modus villæ poſtulet: majora enim tecta, monet Varro *L. I. c. 4.* & ædificamus pluris, & tuemur ſumptu majori. Villa igitur, ſi reſpondentes illi fructus expectas, fundo reſpondeat, non ut fecerunt juxta diverſis eadem ætate exemplis L. Lucullus, & Q. Scævola, cum villa Scævolæ fundus careret, villa Luculli agro. *Plin. l. l.* quorum alter majores, alter minus amplas, quam poſtulavit modus agri, villas extruxit, cum utrumque ſit contra rem familiarem. *Col. L. I. c. 4.* Quo in genere cenſoria caſtigatio, minus arare, quam verrere. *Plin. l. l.* Prætereo plures alios, quos voluptatis gratia facimus immodicos ſumptus, aut quos luxu conſumimus fructus. Urb. Nec ego, nec alius quisquam ex villa urbana fructus expectat: ſed nec jam olim ex ruſtica tulere, ut propterea jam frequens fuerit illa querela, agricolas opprimi, & rerum inopia ex Italia pelli. Euras. Aliud hujus mali caput erat nos minime contingens: etenim Romani devicta Italia ceperant jure belli haud parum ſuburbani, & longinqui agri. Eum univerſum partim ſub haſta vendidere: partim tenuioribus civibus utendum fruendumque locavere exigua penſione impoſita. Paulatim tamen divites finitimos agros ad ſe quisque trahere, & egenos pellere cœperunt. Horum avaritiam coercuit quidem lex Stolonis ſupra quingenta jugera poſſideri prohibens: ſed frænum rupit cupiditas: vi, fraude, pretio agros fere omnes pauperibus pulſis obtinuere divites; propterea Plinius *l. l.* ſcripſit: latifundia perdiderunt Italiam, quod & inopes cives fundis pulſi, & tam lati fundi non amplius culti ſint. Altera hujus querelæ cauſa deductio colonia-

rum erat, qua ex Romuli inſtituto devictis finitimis oppidis pars agrorum in emeritos milites viritim dividebatur, ut tam urbs ſuperflua multitudine levaretur, quam victi exhaurirentur, ne ad arma reſpiciant, ac denique, ubicunque Romanus vicerit, ibi habitet, habeatque præſidium. Sed Corn. Sulla non in agros ab hoſte captos, ſed in ipſam Italiam viginti tres legiones, & J. Cæſar viginti millia in agrum Campanum deduxit. Hinc illæ lachrymæ.

VI. *Terra hodie non minus, quam olim erat fœcunda.*

Urb. Ego vero ob alias longe rationes fruſtra nos expectare illos fructus, quos majores noſtri retulerunt, exiſtimo, aeris nempe hodie minus benigni, terræque ſeneſcentis vitio. Philom. In ſententiam nempe Lucretii diſcedis, quam *L. II.* exprimit:

> Jamque adeo affecta eſt ætas, effœtaque tellus,
> Vix animalia parva creat, quæ cuncta creavit
> Secla, deditque ferarum ingentia corpora partu.

Neque enim dubium eſt, inquit Seneca *Epiſt.* 90. quin meliora mundus nondum effœtus ediderit. Euras. Non me latet iſthæc opinio, quam nec Plinius *L. VII. S.* 16. referre omiſit, cuncto mortalium generi minorem indies menſuram fieri, conſumente ubertatem ſeminum exuſtione, in cujus vices nunc vergat ævum. Hanc a Stoicis accepit, cataclyſmum conflagrationemque alternatim ſibi in rerum natura ſuccedere credentibus. Qua de re plura habet Seneca *L. III. Nat. quæſt. c.* 7. Sed ſi giganteum, ut Juvenalis *Satyr. XV.* ait,

> - - - genus hoc vivo jam decreſcebat Homero,

quid cauſæ, quin jam pygmæis & Plinii *L. VII. S* 2. triſpithamis, ternos dodrantes non excedentibus, minores ſimus, quos, quoniam a gruibus infeſtantur, inſidentes arietum, caprarumque dorſis, armatos ſagittis veris tempore univerſo agmine ad mare deſcendere, & ova, pulloſque earum alitum conſumere, aliter futuris gregibus non reſiſti, caſas eorum [illegible] luto,

luto, penniſque & ovorum putaminibus conſtrui, fama fuit. Terræ igitur virtutem per ætatem mundi jam ſeneſcentis laſſatis veluti ſeminibus cum antiquis illis exhauſtam ais? Ego vero ſum ex iis, ut cum C. Plinio juniore *L. VI. Epiſt.* 21. rem eloquar, qui mirer antiquos, non tamen, ut quidam, temporum noſtrorum ingenia deſpicio: neque enim laſſa & effœta natura, ut nihil jam laudabile pariat. Jam igitur Columellæ ævo culpabant agrorum infæcunditatem, cœlique noxiam frugibus intemperiem, exiſtimantes, ubertate nimia prioris temporis defatigatum & effœtum ſolum nequire priſtina benignitate præbere mortalibus alimenta. Quas ego cauſas, inquit iſte, procul a veritate abeſſe certum habeo, quod neque fas exiſtimare, humi naturam, quam primus ille mundi genitor perpetua fœcunditate donavit, quaſi quodam modo ſterilitate affectam: neque prudentis credere, quæ divinam & æternam juventam ſortita, communis omnium parens dicta ſit, quia & cuncta peperit ſemper, & deinceps paritura ſit, velut hominem conſenuiſſe. *Col. L.* I. *præf.* Nec te offendet, quod ſolenni veterum dicendi modo, & errore divinam & æternam juventam terræ ſtatuat: ſed ad hoc animum advertas velim, quod ſi tellus diuturnis feſſa laboribus indies deficeret, jam ſterile oporteret noſtrum eſſe ſolum: cum tamen poſt tantum annorum decurſum nihil degeneraverit. Quapropter merito ſugillat Tremellium, qui illectus nimio favore priſcorum de ſimili materia differentium, falſo credidit, parentem omnium terram, ſicut muliebrem ſexum ætate anili jam confectam, progenerandis eſſe fœtibus inhabilem. Quod ipſum quoque confiterer, inquit, ſi in totum nullæ fruges provenirent; nam & hominis tum demum declaratur ſterile ſenium, non cum deſinit mulier trigeminos, aut geminos parere, ſed cum omnino nullum conceptum edere valet. Ita-

que tranſactis juventæ temporibus, etiamſi longa vita ſupereſt, partus tamen annis denegatus non reſtituitur. At e contrario ſeu ſponte, ſeu quolibet caſu deſtituta humus, cum eſt repetita cultu, magno fœnore ceſſationis colono reſpondet. Non ergo eſt exiguarum frugum cauſa terræ vetuſtas, ſi modo, cum ſemel invaſit ſenectus, regreſſum non habet, nec reviviſcere, aut repubeſcere poteſt. Sed ne laſſitudo quidem ſoli minuit agricolæ fructum; neque enim prudentis eſt adduci tanquam in hominibus nimia corporis exercitatione, aut oneris alicujus pondere, ſic cultibus & agitationibus agrorum fatigationem accedere. *Col. L. II. c.* 1. Urb. Communis tamen opinio, & in novalibus quidem certis etiam experimentis firmata eſt, agros quosdam & vineas initio & præſtantia, & copia fideliores fuiſſe, quos modo de commendata illa fœcunditate multum remiſiſſe, velut ſenilis ætatis vitio, in comperto eſt. Euras. Decantata hæc & popularis querela ſoli ſeneſcentis inopiam accuſat, cum culpam omnem in culturæ ſocordiam conferre deberet: novalia autem uberioribus fructibus exuberant, quoniam a ſuccifis herbis & frondibus, longaque quiete pingue alimentum recipiunt, quo conſumpto parcius quoque fruges reddunt, non quod annis enecentur, ſed macrore, aut inedia. Quod ipſum Columella Tremellio talia objectanti repoſuit: Neque enim idcirco rudis, inquit, & modo ex ſilveſtri habitu in arvum transducta fœcundior haberi terra debet, quod ſit requietior & junior: ſed quod multorum annorum frondibus & herbis, quas ſuapte natura progenerabat, veluti ſaginata largioribus pabulis, facilius edendis educandisque frugibus ſufficit. At cum perruptæ raſtris & aratris radices herbarum, ferroque ſuccifa nemora frondibus ſuis deſierunt alere matrem, quæque temporibus autumni frutetis & arboribus delapſa folia ſuperjaciebantur,

mox

mox converſa vomeribus & inferiori ſolo, quod plerumque eſt exilius, permiſta, atque abſumpta ſunt: ſequitur, ut deſtituta priſtinis alimentis macreſcat humus. Non igitur fatigatione, quemadmodum plurimi crediderunt, nec ſenio, ſed noſtra ſcilicet inertia minus benigne arva reſpondent, licet enim majorem fructum percipere, ſi frequenti, & tempeſtiva ſtercoratione terra refoveatur. *Col. L. II. c.* 1. Huic accedit Plinius *L. XVII. S.* 3. ubi cum ex Catonis ſententia terram carioſam, velut ſterilem & exeſam nullo aratro proſcindendam monuiſſet, non annorum numero & longo labore; ſed natura ſua infœcundam eſſe aſſerit: eſt enim, inquit, interpretatione vitiorum quædam non ætate, quæ nulla in ea intelligi poteſt, ſed natura ſua, anus terra, & ideo infœcunda ad omnia, atque imbecilla. Vides igitur, quod non ætas, ſed culturæ neglectus terræ fœcunditatem exhauriat.

DIALOGUS IV.

DE JUCUNDITATE VITÆ RUSTICÆ.

ARGUMENTUM.

I. *Jucunditas vitæ ruſticæ oſtenditur ex mira naturæ fœcunditate in proferendis omnis generis fructibus.*

II. *Ex penu domeſtica ſemper repleta.*

III. *Exemplis ſummorum virorum.*

IV. *Ex urbis moleſtiis.*

V. *Virgilii & Horatii carmine.*

Euras. Nec minor eſt deliciarum, quam fructuum agreſtium campus, & ingenita quædam animi propenſio etiam iis, qui quondam a voluptatibus ruris maxime erant alieni, I. *Jucunditas vitæ ruſticæ oſtenditur*

ut

ex mira naturæ fœcunditate in proferendis omnis generis fructibus.

ut poſtea hunc eximium mundi mundum, ſic argutari liceat, poſtea ſine tacito quodam gaudii ſenſu aſpicere nequaquam valuerint. Quid igitur mirum, multos, poſtquam imperii habenas tenuerunt, in hoc vitæ genere felicitatem ſuam collocaſſe, & ab aratro ad curiam, a prædio ad dictaturam vocatos poſt inſignes victorias depoſitis faſcibus ad ſtyvam, ad jugera ſua rediiſſe? Urb. Oportet hos magnos fuiſſe philoſophos, ſuique oblitos. Euras. Immo commodorum ſuorum ſtudioſiſſimos, utpote qui in omni vita nullos ſibi lætiores affulſiſſe dies teſtati ſunt. Urb. Et quæ illæ deliciæ? Euras. Has ex magno illo Romanæ eloquentiæ principe Cicerone intelliges, qui M. Catonem virum ſummum, triumpho & cenſura ſuper cætera inſignem, magis tamen etiamnum claritate litterarum, præceptisque generi Romano datis, inter prima vero agri colendi, illius ævi confeſſione optimum, ac ſine æmulo agricolam, *Plin. L. XIV. S.* 5, loquentem inducens ait: venio nunc ad voluptates agricolarum, quibus ego incredibiliter delector, quæ nec ulla impediuntur ſenectute, & mihi ad ſapientis vitam proxime videntur accedere. Urb. Perge, perge, jam totus auris fio. Euras. Quamquam non modo fructus quidem me, inquit, ſed etiam ipſius terræ vis, ac natura delectat, quæ cum gremio mollito, ac ſubacto ſemen ſparſum excepit, primum id occæcatum cohibet, ex quo occatio, quæ hoc efficit, nominata eſt: deinde tepefactum vapore & complexu ſuo diffundit, & elicit herbeſcentem ex eo viriditatem, quæ nixa fibris ſtirpium ſenſim adoleſcit, culmoque erecta geniculato, vaginis jam quaſi pubeſcens includitur. E quibus cum emerſerit, fundit frugem ſpicæ ordine ſtructam, & contra avium minorum morſus munitur vallo ariſtarum. Quid ego vitium ſatus, ortus, incrementa commemorem? ſatiari delectatione non poſſum,

ut

ut meæ ſenectutis requietem, oblectamentumque noſcatis. Omitto enim vim ipſam omnium, quæ generantur a terra, quæ ex fici tantulo grano, aut ex acino vinaceo, aut ex cæterarum frugum, aut ſtirpium minutiſſimis ſeminibus tantos truncos, ramosque procreat: malleoli, plantæ, ſarmenta, vites, traduces, propagines nonne ea efficiunt, ut quemvis cum admiratione delectent? vitis quæ natura caduca eſt, & niſi fulta ſit, ad terram fertur: eadem ut ſe erigat, claviculis ſuis quaſi manibus, quidquid eſt nacta, complectitur, quam ſerpentem multiplici lapſu & erratico, ferro amputans coercet ars agricolarum, ne ſilveſcat ſarmentis, & in omnes partes nimia fundatur. Itaque ineunte vere in iis, quæ relicta ſunt, exiſtit tanquam ad articulos ſarmentorum ea, quæ gemma dicitur, a qua oriens uva ſe oſtendit, quæ & ſucco terræ, & calore ſolis augeſcens, primo eſt peracerba guſtu: deinde maturata dulceſcit, veſtitaque pampinis, nec modico tepore caret, & nimios ſolis defendit ardores. Qua quid poteſt eſſe tum fructu lætius, tum aſpectu pulchrius? cujus quidem non utilitas me ſolum, ſed etiam cultura, & ipſa natura delectat, adminiculorum ordines, capitum conjugatio, religatio, propagatio ſarmentorum, vitiumque ea, quam dixi, aliorum amputatio, & aliorum immiſſio. Quid ego irrigationes, quid agri foſſiones repaſtinationesque proferam, quibus fit multo terra fœcundior? quid de utilitate loquar ſtercorandi? - - - Homerus Laertem lenientem deſiderium, quod e filio capiebat, colentem agrum, & eum ſtercorantem facit. *Cicer. de ſeneƈt.* Urb. O antiqui moris & ſaporis hominem! Sed perge, lubens enim Catonem Ciceroniano ore loquentem audio. Euras. Nec vero ſegetibus ſolum & pratis, & vineis & arbuſtis res ruſticæ lætæ ſunt, ſed etiam hortis & pomariis, tum pecudum paſtu, & apum examinibus,

tum florum omnium varietate. Nec conſitiones modo delectant, ſed etiam inſitiones, quibus nihil invenit natura ſolertius. Poſſum perſequi multa oblectamenta rerum ruſticarum; ſed ea ipſa, quæ dixi, ſentio fuiſſe longiora. Ignoſcetis autem, nam & ſtudio rerum profectus ſum, & ſenectus eſt natura loquacior. *Id. l. l.* PHILOM. Liceat mihi longiorem ſermonem paucis Horatii *L. II. Sat.* 2. ſuſpiriis interpellare:

O rus! quando ego te aſpiciam, quandoque licebit
Nunc veterum libris, nunc ſomno, & inertibus horis,
Ducere ſolicitæ jucunda oblivia vitæ.

URB. Ego vero delicias illas neſcio, quas in conſitione, & inſitione poſitas fingit Cato. EURAS. Eaſdem ipſe explicans, nemo eſt, inquit, tam ſenex, qui ſe annum putat non poſſe vivere; ſed iidem laborant in eis, quæ ſciunt nihil ad ſe omnino pertinere. Serunt arbores, quæ alteri ſeculo proſint - - Nec vero dubitat agricola, quamvis ſenex, quærenti, cui ſerat, reſpondere: diis immortalibus, qui me non accipere tantum a majoribus voluerunt. *Id. l. l.* Suum dein de agricolationis voluptate, quem interrupiſtis, ſermonem proſequitur: mea quidem ſententia haud ſcio an ulla beatior eſſe poſſit, neque ſolum officio, quod hominum generi univerſo cultura agrorum eſt ſalutaris, ſed & delectatione, quam dixi, & ſaturitate, copiaque omnium rerum, quæ ad victum hominum, & cultum etiam deorum pertinent. Et quoniam hæc quidem deſiderant, in gratiam jam cum voluptate redeamus; ſemper enim boni, aſſiduique domini referta cella vinaria, olearia, & penuaria eſt, villaque tota locuples eſt: abundat porco, hœdo, agno, gallina, lacte, caſeo, melle. Jam hortum ipſi agricolæ ſuccidiam alteram appellant: tum conditiora facit hæc ſupervacanei etiam operis aucupium, atque venatio. Quid de pratorum viriditate, aut arborum ordinibus, aut vinearum,

II. *Ex penu domeſtica ſemper repleta.*

Digitized by Google

nearum, olivetorumve ſpecie dicam? brevi expediam: agro bene culto nil poteſt eſſe nec uſu uberius, nec ſpecie ornatius: ad quem fruendum non modo non retardat, verum etiam invitat, atque allectat ſenectus. - - Sibi igitur alii habeant arma, ſibi equos, ſibi haſtas, ſibi clavum & pilum, ſibi natationes & curſus - - - Multas ad res perutiles Xenophontis libri ſunt, quos legite, quæſo, ſtudioſe, ut facitis, quam copioſe ab eo agricultura laudatur in eo libro, qui eſt de tuenda re familiari, qui œconomicus inſcribitur. Atque ut intelligatis, nihil ei tam regale videri, quam ſtudium agri colendi: Socrates in eo libro loquitur cum Critobulo: Cyrum minorem Perſarum regem præſtantem ingenio atque imperii gloria, cum Lyſander Lacedæmonius vir ſummæ virtutis veniſſet ad eum Sardis, eique dona a ſociis attuliſſet, & cæteris in rebus comem erga Lyſandrum atque humanum fuiſſe, & ei quemdam ſatum agrum diligenter conſitum oſtendiſſe: cum autem admiraretur Lyſander & proceritates arborum & directos in quincuncem ordines & humum ſubactam atque puram & ſuavitatem odorum, qui efflarent e floribus; tum eum dixiſſe: mirari ſe non modo diligentiam, ſed etiam ſolertiam ejus, a quo eſſent illa dimenſa & deſcripta, & ei Cyrum reſpondiſſe: atqui ego iſta ſum dimenſus, mei ſunt ordines, mea deſcriptio: multæ enim iſtarum arborum mea manu ſunt ſatæ. Tum Lyſandrum intuentem ejus purpuram & nitorem corporis ornatumque Perſicum multo auro multisque gemmis dixiſſe: recte vero te Cyre beatum ferunt, quoniam virtuti tuæ fortuna conjuncta eſt. *Cicer. de ſenect.* Hinc non miror oraculum a Gyge, rege tunc ampliſſimo terrarum, quis eo eſſet felicior, conſultum reſpondiſſe, Aglaum Pſophidium eſſe feliciorem. Senior hic in anguſtiſſimo Arcadiæ angulo parvum, ſed annuis victibus large ſufficiens prædium colebat, nunquam

III. *Exemplis ſummorum virorum.*

ex eo egreſſus, atque minima cupidine minimum in vita mali expertus. *Plin. L. VII. S.* 47. Hæc cum fuſiora ſint, prætereo alia paucis jam hic delibata vitæ ruſticæ oblectamenta, quæ generatim his verbis complexus eſt Tullius: illa quanta benignitas naturæ, quod tam multa ad veſcendum, tam varia, tam jucunda gignit: neque ea uno tempore anni, ut ſemper novitate delectemur & copia. *Cicer. L. II. de nat. deor.* Urb. Fateor, velut iſta in admirationem rapiunt, ita florum brevis conditio in quemdam mœrorem. Euras. Hanc naturæ providentiam probe conſiderans Plinius *L. XXI. S.* 1. ſcribit: flores vero odoresque in diem gignit, magna, ut palam eſt, admonitione hominum, quæ ſpectatiſſime floreant, celerrime marceſcere. Urb. Digna Romano philoſopho ſententia: & ſi ſtabit a me fortuna propitia, his quidem ducibus & ruris & horti delicias capturus ero; neſcio enim, qua jam urbanæ vitæ moleſtia afficiar. Euras. Majorene ac Plinius ille junior? ſcripſit hac de re gravem ſane ad Minucium Fundanum epiſtolam. Urb. Recita illam: veterum enim Romanorum verba plus cæteris ad figendam, quo volunt, meam voluntatem valent. Euras. Mirum eſt, ſcribit itaque, quam

IV. *Ex urbis moleſtiis.*

ſingulis diebus in urbe ratio aut conſtet, aut conſtare videatur pluribus cunctiſque non conſtet. Nam ſi quem interroges, hodie quid egiſti? reſpondeat: officio togæ virilis interfui, ſponſalia aut nuptias frequentavi. Ille me ad ſignandum teſtamentum, ille in advocationem, ille in conſilium rogavit. Ita hæc quo die feceris neceſſaria, eadem ſi quotidie feciſſe reputes, inania videntur; multo magis, cum ſeceſſeris: tunc enim ſubit recordatio, quot dies, quam frigidis rebus abſumpſi! Quod evenit mihi, poſtquam in Laurentino meo aut lego aliquid, aut ſcribo, aut etiam corpori vaco, cujus fulturis animus ſuſtinetur: nihil audio, quod audiiſſe,

nihil

Digitized by Google

nihil dico, quod dixiſſe pœniteat. Nemo me apud quemquam ſiniſtris ſermonibus carpit: neminem ipſe reprehendo, niſi tunc me, cum parum commode ſcribo: nulla ſpe, nullo timore ſolicitor, nullis timoribus inquietor: mecum tantum & cum libellis loquor. O regiam, ſinceramque vitam! o dulce otium, honeſtumque ac pene omni negotio pulchrius! o mare! o littus! verum ſecretumque μȣσεῖον, quam multa invenitis? quam multa dictatis? Proinde tu quoque ſtrepitum iſtum inanemque diſcurſum & multos ineptos labores, ut primum fuerit occaſio, relinque, teque ſtudiis, vel otio trade; ſatius eſt enim, ut Attilius noſter eruditiſſime ſimul & facetiſſime dixit, ocioſum eſſe, quam nihil agere. *C. Plin. L.I. Ep.*9. URB. Vale igitur urbs, valete importuni ſtrepitus, & moleſtæ curæ! PHILOM. Sine, ut Maronis verſibus applaudam tibi: Georg.L.II.

V. *Virgilii & Horatii carmine.*

O fortunatos nimium, bona ſi ſua norint,
Agricolas! quibus ipſa procul diſcordibus armis
Fundit humo facilem victum juſtiſſima tellus.
Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam:
Nec varios inhiant pulchra teſtudine poſtes,
Illuſasque auro veſtes, Ephyreiaque æra:
Alba nec Aſſyrio fucatur lana veneno:
Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi,
At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum, ac latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus, & frigida Tempe,
Mugitusque boum, mollesque ſub arbore ſomni
Non abſunt. Illis ſaltus, ac luſtra ferarum,
Et patiens operum, parvoque aſſueta juventus,
Sacra deum, ſanctique patres, extrema per illos
Juſtitia excedens terris veſtigia fecit.

Euras. Largior es in recitandis verſibus. Philom. Amat Urbanus noſter veterum poetarum teſtimonia: & ne exhauſtam putes eſſe memoriam, aliud ex Horatio Epod. II. carmen addam:

Beatus ille, qui procul negotiis
Ut priſca gens mortalium,
Paterna rura bobus exercet ſuis,
Solutus omni fœnore:
Neque excitatur claſſico miles truci,
Neque horret iratum mare:
Forumque vitat, & ſuperba civium
Potentiorum limina.
Ergo aut adulta vitium propagine
Altas maritat populos:
Inutilesque falce ramos amputans,
Feliciores inſerit;
Aut in reducta valle mugientium
Proſpectat errantes greges;
Aut preſſa puris mella condit amphoris;
Aut tondet infirmas oves.
Vel cum decorum mitibus pomis caput
Autumnus arvis extulit,
Ut gaudet inſitiva decerpens pyra,
Certantem & uvam purpuræ,
Qua muneretur te Priape, & te, pater
Silvane, tutor finium.
Libet jacere modo ſub antiqua ilice,
Modo in tenaci gramine:
Labuntur interim ripis aquæ,
Queruntur in ſilvis aves,
Fontesque lymphis obſtrepunt manantibus,
Somnos quod invitet leves.

Urb.

Urb. Siſte, jam ſatis eſt, jam veſter ſum, jam fas mihi eſto extra civicos tumultus ruri agere, ac in hac ſede terrenæ beatitatis ociari: abſit, ut ego hoc prædium, ut tantas ego delicias vendam. Euras. Haud ſatis maturum eſt tuum votum, Urbane, &, quod prius parum humane oderas, nunc intempeſtive amas; deſidiæ nempe & voluptatis, non utilitatis, ac honeſtæ quietis diverſorium quæris. Ecce! prædium hoc tuum ante paucos dies venditum ibas: ſed dic ſerio, illud deſerturus, an te quoque & ſocordiam tuam deſeres? nunc illud retinere deſideras; ſed num etiam ignaviam illam tuam? Vide igitur, ne in pectore tuo alas fontem, fomitemque mali. Urb. Vendam igitur & non vendam? Euras. Hodie quidem nec conſtituas vendere, nec retinere. Urb. Quid autem cras. Euras. Cato c. 2. quidem velut oraculum editurus palam pronunciat: patremfamilias vendacem, non emacem eſſe oportet. Sed hoc de fructibus dixit, non de prædio; quod, velut haud expedit e veſtigio emere, ita multo minus emptum protinus vendere: ſed præ omnibus advertendum, quod Varrone teſte *L. I. c. 2.* Italici homines colendo ſpectaſſe videntur, poſſetne fructus pro impenſa ac labore redire. Priusquam igitur aut vendere, aut retinere ſtatuas, vitæ ruſticæ fundique cognitionem te habere oportet, ne aut pretioſum temere dimittas, aut ſanitati & rebus tuis minus commodum cæce retineas. Urb. Rogo igitur, obteſtorque te, Euraſi, lumen manumque porrige, & cum Philomuſo ad prædium bis mille paſſibus ab urbe diſtans concede, ut vobis ducibus hujus rei capiam cognitionem. Euras. Nobis ducibus? immo antiquis ſcriptoribus, quorum auctoritati plurimum tribuis. Navabo itaque operam, ut eorundem præceptis te imbuam. Et quoniam hodie ſol jam ad occaſum feſtinat, ſecundum hanc diem te conveniamus diis agreſtibus perlitaturi.

DIALOGUS V.
VALETUDINI MAGIS CONSULI RURI, QUAM IN URBE.

ARGUMENTUM.

I. *Auram ruri eſſe ſalubriorem.*

II. *Veterum uſu & teſtimonio probatur.*

III. *Exercitatio corporis valetudini neceſſaria &*

IV. *Ruri opportunior.*

V. *Ejus modi varii.*

VI. *Menſa ruri frugalior,*

VII. *Cibi ſimplices &*

VIII. *Salubres.*

IX. *Cibi multiplices multiplicium cauſæ morborum.*

X. *Majorum noſtrorum cibus ſimplex fuit.*

XI. *In urbe varius eſſe cœpit.*

XII. *Cujus luxus damnatus &*

XIII. *Laudatur ciborum ſimplicitas.*

XIV. *Animum ruri eſſe liberiorem.*

XV. *In urbe curis implicatum,*

XVI. *Aſſidua ſui obſervatione.*

XVII. *An, & qualis philoſophia menſis adhibenda?*

XVIII. *Sermonis libertas &*

XIX. *Vacatio ab occupationibus, atque*

XX. *Multis odiis ruri agenti conceſſa laudatur.*

PHILOM. Urbis amatoremFuſcum (*Urbanum*)ſalvere jubemus
Ruris amatores: hac in re ſcilicet una
Multum diſſimiles, ad cætera pene gemelli.
Fraternis animis, quidquid negat alter, & alter:
Annuimus pariter vetuli, notique columbi.
Tu nidum ſervas: ego laudo ruris amœni
Rivos, & muſco circumlita ſaxa, nemuſque.
Quid quæris? vivo & regno, ſimul iſta reliqui,
Quæ vos ad cœlum effertis rumore ſecundo.

Horat. L. I. Epiſt. 10.

Quous-

Quouſque igitur in urbe hærebis, Urbane? Et rei familiaris & corporis cura in rus invitat & evocat dominum. Urb. Quam tu mihi corporis curam? an majorem hanc credis ruri futuram, quam domi? Euras. Cura quidem corporis atque etiam moleſtia minor erit, ſed firmior valetudo; hanc enim ipſa aura ſalubrior conciliat. Urb. Salubriorem auram in villa, quam in urbe prædicas? Euras. Et tu dubitas etiam, poſtquam hanc cauſam omnis medicorum turba declamavit toties? Et quoniam adhuc in ſalebris hæres, non quidem, ac ſi tam dubia tibi, quam factu difficilis, res videatur, valetudo an in villa, an in urbe curetur præſtabilius, priusquam ad colendum agrum abeamus, amore valetudinis tuæ religionem iſtam eximam. Et Celſi quidem ſententia, ſanum hominem oportet modo ruri eſſe, modo in urbe, ſæpius in agro, & neque egere medico. *L. I. c.* 1. In urbe autem cur tanta ægrotantium multitudo, cur tanta turba medicorum de vita noſtra non ſine quœſtu negotiantium? At ruri quam rari morbi, quam rari medici & funera, ut ejus rei conſilio proceres & principes in villas ſuas confugiant, corpore gravioris cœli incommodis, quibus in urbe conflictantur, affecto naturalis auræ uſurpaturi delicias, ut hujus beneficio multi aut reſtitutam valetudinem debeant, aut nunquam læſam, palam profitentes, ipſam loci naturam, ſitum & poſitionem, liberum oculorum proſpectum, benignos ventorum ab ortu & occaſu acceſſus, ſpirationes e montibus emiſſas, munificos illos hic ex fertilibus campis, hic ex apricis collibus, illic ex opacis nemoribus, iſtic ex amœnis vallibus, ſuavi frugum, florum arborumque odore miſtos afflatus, mitigatoſque & amnium & fontium frigore calores præſtantiſſimæ medicinæ vicem ſubiiſſe, quam inter pingues illos urbis fumos, vapores putreſque fœtores nunquam inveniſſent. Propterea Plinius

I. *Auram ruri eſſe ſalubriorem.*

L. XXVIII.

Digitized by Google

II. Veterum uſu & teſtimonio probatur.

L. XXVIII. S. 14. inter alias ab animo hominis pendentes medicinas imprimis prodeſſe ſcribit locorum mutationem: & Cæſar *L. VIII. de bell. Gall.* ſe tantum itinerum feciſſe memorat, quantum ſatis eſſe ad mutationem locorum, propter ſalubritatem exiſtimabat. Veteres autem Romanos ruſticationi valetudinis cauſa plurimum tribuiſſe plurimis exemplis admoneor, & medicum ne noviſſe quidem, primus enim eorum Archagatus anno Urbis DXXXV. Peloponneſo Romam venit, *Plin. L. XXIX. S.* 6. qua ipſa ætate patresfamilias relictis falce & aratro intra murum correpſerunt & manus movere maluerunt in theatro ac circo, quam in ſegetibus: prius tamen illud inſtitutum dum ſervaverunt, utrumque ſunt conſecuti, ut & cultura agros fœcundiſſimos haberent, & ipſi valetudine firmiores eſſent. *Varr. L. II. c.* 1. Quamvis vero ab hac vivendi ratione Romani receſſerint, commutatio tamen locorum tam frequens fuit, ut non ſolum eorum, quorum amœna poſitio & opportunitas regionis plures alliciebat, ſed & deſertorum & aſperrimorum nullum inveniſſes tam triſte exilium, in quo non aliquis animi cauſa moretur. *Senec. conſol. ad Helv. c.* 6. Urb. Cur igitur tanta hominum multitudo relicto rure in urbe confluxit, vitæ, an mortis deſiderio? Euras. Salubrioris auræ fiducia certo non convolarunt, ſed popularis. Alios adducit ambitio, ſcribit Seneca *l. l.* alios neceſſitas officii publici, alios impoſita legatio, alios luxuria, opulentum & opportunum vitiis locum quærens: alios liberalium ſtudiorum cupiditas, alios ſpectacula; quosdam traxit amicitia, quosdam induſtria latam oſtendendæ virtuti nacta materiam: quidam venalem formam attulerunt, quidam venalem eloquentiam: nullum non hominum genus concurrit in urbem & virtutibus & vitiis magna pretia ponentem. Ex quibus planum tibi erit, paucos aut nullos fore, quos valetudinis

dinis ratio in urbe conſidere juſſit: ſed quam ingentem tibi dare poſſem civium Romanorum turbam, quos eadem ex urbium pulcherrima & orbis domina in rus, in agros, in villam evocavit. Videris, credo, hodiernam, legeriſque antiquam Italiam villis, prædiiſque conſitam, in quibus, ut Strabo de Piſis, Liguriaque loquens teſtatur, velut more Perſarum regias quaſdam ſtruunt, adeo in deliciis habuere procul a cœtu hominum vitam agere. Propterea Plinius junior *L. V. Epiſt.* 6. villam ſuam commendans ſcribit: æſtatis mira clementia, ſemper aer ſpiritu aliquo movetur, frequentius tamen auras, quam ventos habet. Hinc ſenes multi: videas avos, proavoſque juvenum: audias fabulas veteres, ſermoneſque majorum: cumque veneris illo, putes alio te ſeculo natum. Addit denique: quod ipſum ſalubritati regionis, ut purius cœlum, ut aer liquidior, accedit: ibi animo, ibi corpore maxime valeo - - - mei quoque nuſquam ſalubrius degunt. PHILOM. Bene igitur Horatius l. I.

Vivere naturæ ſi convenienter oportet,
Ponendæque domo quærenda eſt area primum:
Noviſtine locum potiorem rure beato?
Eſt, ubi plus tepeant hiemes? ubi gratior aura
Leniat & rabiem canis & momenta leonis,
Quum ſemel accepit ſolem furibundus acutum?
Eſt, ubi divellat ſomnos minus invida cura?
Deterius Libycis olet aut nitet herba lapillis?
Purior in vicis aqua tendit rumpere plumbum,
Quam quæ per pronum trepidat cum murmure rivum?
Nempe inter varias nutritur ſilva columnas,
Laudaturque domus, longos quæ proſpicit agros.

III. *Exercitatio corporis valetudini neceſſaria*

Euras. Auram ſalubrem, ſitum proſpectumque jucundum plerumque grata animo corporique per agros & ſilvas deambulatione, aliave exercitatione captare ſolemus, cui inter alia illa quinque communia valetudinis auxilia plurimum tribuit Aſclepiades, adeo ut univerſum prope genus humanum circumegerit in ſe, non alio modo, quam ſi cœlo emiſſus adveniſſet. *Plin. L. XXVI. S.* 7. Celſus quoque *L. I. c.* 1. exercitationem iſtam approbans ſcribit: oportet navigare, venari, quieſcere interdum, ſed frequenter ſe exercere; ſiquidem ignavia corpus hebetat, labor firmat: illa maturam ſenectutem, hic longam adoleſcentiam reddit. Philom. Palinurus certo Plauti *Curcul. Act. II.* 1. præſentiſſimam in ambulando conſtituit medicinam, cum inteſtina omnia exputeſcere ſibi deploraret Capadox:

- - - - lien necat: renes dolent:
Pulmones diſtrahuntur: cruciatur jecur:
Radices cordis pereunt: hiræ omnes dolent:
Lien directu' ſt.

reſpondebat enim:

- - - - ambula: ſane optimum' ſt.

unde & in proverbium abiit, ut abeuntibus precemur; bene ambula. Velut etiam de incolumitate advenientis quærimus; benene ambulaſti? *Plaut. Trucul. Act. II.* 4. ac ſi in ambulatione omnis vis & virtus valetudinis noſtræ eſſet poſita. Euras. Nec minus Plinius *L. XXVIII. S.* 14. audacter pronunciat: imprimis vero prodeſt ambulatio, geſtatio, & ex plurimis modis; equitatio ſtomacho & coxis utiliſſima; phthiſi navigatio. Multo adhuc confidentius Avicenna aſſerit, poſſe homines, ſi debito tempore exercitio ac labore uterentur, omnibus medicis & medicamentis carere. Neque enim, ut credam, quietem & ſomnum a prandio & cœna digeſtioni pro-

proficere admittit Plinius, qui *L. XI. S.* 118. aſſeverat, ci-
bos ſomno concoquere corpulentiæ, quam firmitati utilius
eſſe, athletasque maluiſſe eos ambulatione perficere. Urb.
Etiam in ædibus urbanis deambulationi minus laborioſæ va-
care licet. Euras. Et quoties per amicos, per negotia non IV.
licet? Et licet etiam, ſed haud erit, ut lubeat: non enim aut *& Ruri opportu-*
pedes, aut oculi, aut animus in ambulacro domus eam ca- *nior.*
piunt voluptatem anguſta decurſione illa, quam ruri perci-
piunt gratæ viriditatis, copioſæ ſegetis, pinguis pecoris, ac
futuri quœſtus conſideratione. Neque etiam ambulatio illa,
quam in urbe te peracturum promittis, tam opportuna eſt
valetudini, ut Celſus *L. I. c.* 1. advertit, atque hæc non ita
plana, inquiens, commodior eſt; ſiquidem melius aſcenſus
quoque & deſcenſus cum quadam varietate corpus moveat - -
melior autem eſt ſub dio, quam in porticu: melior, ſi caput
patitur, in ſole, quam in umbra: melior in umbra, quam pa-
rietes & viridaria efficiunt, quam quæ tecto ſubeſt; melior
recta, quam flexuoſa. Et *L. II. c.* 15. de geſtatione agens V.
ejus plura aſſignat genera, quæ ſunt pro viribus cujusque & *Ejus modi varii.*
pro opibus - - geſtationum leniſſima eſt navi, vel in portu,
vel in flumine: vehementior in alto mari navi: vel lectica,
aut ſcamno: acrior vehiculo: atque hæc ipſa & intendi &
leniri poſſunt. Ex quibus proverbium illud natum credo, cu-
jus Plutarchus *de præcept. ſal.* mentionem facit: jucundiſſima
navigatio juxta terram: ambulatio juxta mare. Denique cor-
pus exerceri commode monet Celſus *l. l.* clara lectione, ar-
mis, pilis, curſu, ita tamen, ut ne his quidem, athletarum
exemplo, vel certa lex eſſe, vel immodicus eſſe labor debeat;
ſtulta eſt enim, inquiens & minime conveniens litterato viro,
occupatio exercendi lacertos & dilatandi cervicem ac latera
firmandi. Damnat propterea exercitationes illas, quarum la-

bor ſpiritum exhaurit & inhabilem intentioni ac ſtudiis acrioribus reddit. Quid enim tanta defatigatione opus, quæ vires extenuet? ſunt exercitationes & faciles & breves, inquit, quæ corpus & ſine mora laxent, & tempori parcant, cujus præcipua ratio habenda eſt. *Epiſt.* 15. Nec tamen jubet ſeverus philoſophus, ut ſemper immineamus libro & pugillaribus, ſed demus aliquot intervallum animo & corpori, ita tamen, ut non reſolvatur, ſed remittatur, cui rei ſervire geſtationem aſſerit, quæ corpus concutit, & ſtudio non officit: poſſis legere, inquit, poſſis dictare, poſſis loqui, poſſis audire, quorum nihil nec ambulatio quidem vetat fieri. Nec intentionem vocis contemnit: vetat tamen eam per gradus & certos modos attollere & deprimere, ſed ut modeſte deſcendat, & moderatoris ſui temperamentum habeat, nec indocto & ruſtico modo deſæviat; non enim id agitur, ut exerceatur vox, ſed ut exerceat. *Senec. l. l.* Cæterum deambulationem ſuadens haud præcepiſſe videri deſiderat, ut ea ad artificioſæ ſaltationis præcepta religioſe componatur, quamvis non defuturos magiſtros moneat, quos fames & panis lucrandi ſtudium vaniſſimam artem docuit. Aliquando vectatio, iterque & mutata regio vigorem dabunt, hic ipſe obſervat *L. de tranquil.* & *Epiſt.* 55. ſe a geſtatione non minus fatigatum fatetur, quam ſi tantum ambulaſſet, quantum ſedit; labor eſt enim & diu ferri: dubitat autem, an non eo major, quia contra naturam eſt, quæ pedes dedit, ut per nos ambularemus: mihi tamen neceſſarium erat, inquit, concutere corpus, ut ſive bilis inſederat faucibus, diſcuteretur, ſive ipſe ex aliqua cauſa ſpiritus denſior erat, extenuaret illum jactatio, quam profuiſſe mihi ſenſi; ideo diutius vehi perſeveravi, invitante ipſo littore. Amabat igitur Seneca multis quidem negotiis implicitus & juxta philoſophus in ambulationibus apertis

apertis vagari: ut ſcribit *L. de tranquil. c.* 15. quod alimenti & virium loco ſit, ut cœlo libero & multo ſpiritu augeat, attollatque ſe animus, per agros & villas ac juxta littus vehi, geſtari, aut ambulare, ac, ut ait, ex conſuetudine circumſpicere, qui oculis offerebatur, ſitum locorum. Laudat propterea Scipionis & Vatiæ villam: illam, quod in ea Carthaginis Horror latuerit, cui Roma debebat, quod tantum ſemel capta ſit. *Epiſt.* 86. Hanc vero villam totius anni vocat, incommodis Baiarum carentem & fruentem voluptatibus; dignam profecto meliori hero, in quam hic otium ſuum pigrum & ſenile tantum contulerat. Honeſtiori uſui ſuum Ciceroni Tuſculanum fuit, corporis ſcilicet animique exercitationi, quo ita delectabatur, ut, cum illo veniſſet, tum denique ſibimet ipſi placeret, quod in ea velut in opportuno quodam diverſorio requieſceret. *L. I. Epiſt. ad Attic.* non ignarus corpora quidem exercitatione & defatigatione ingraveſcere, animos autem ſe exercendo levari. *L. de ſenect.* Sicut igitur eodem teſte, nec medici, nec imperatores, nec oratores, quamvis artis præcepta perceperint, quidquam, ſine uſu & exercitatione, magna laude dignum conſequi poſſunt, ita nec nos firmam valetudinem ſine corporis exercitatione: ſtagnans enim ſanguis, aquarum inſtar, putreſcit, niſi motu cieatur. Et hunc in urbe raro, nuſquam vero commodius quam in villa ſive deambulando, ſive equitando, ſive geſtando, ſive navigando, ſive vectando, ſive venando ſuſcipies; nam non eſt, quod contemnas hoc ſtudendi genus, ut C. Plinius *L. I. Epiſt.* 6. de venatione ſcribit, mirum eſt, ut animus hac agitatione motuque corporis excitetur. Et *L. V. Epiſt.* 6. ibi animo, ibi corpore maxime valeo, nam ſtudiis animum, venatu corpus exerceo. VI.

URB. Quem tu ab urbe exulem ad exercitationem & laborem, hunc etiam ad victum aridum, ad panem *Menſa rurí frugalior.*

panem nigrum & ſordidum damnabis, obtentu nempe valetudinis, aut potius vitæ ruſticæ conditione, quam amplecti volumus: hac autem dira frugalitatis larva, ut vitam prorogari hominibus poſſe mihi perſuadeam, tantum abeſt, ut famem potius mortemque latere credam. PHILOM. Næ tu vanos timores times, quos ut tibi eximam, palam edico cum Plauti Coco *Pſeud. Act. III.* 2.

- - vel ducenos annos poterunt vivere,
Meas qui eſitabunt eſcas, quas condivero.

URB. Quam tu mihi grandi promiſſor hiatu? EURAS. Crede igitur mihi, rem ſummam cibariam, coci præfecturam in villa adibo: non quidem cum C. Matio lauta inſtructurus convivia, ſed & valetudini & rei familiari conſultum iri volens honeſto magis quam ſplendido cibo gratam & frugalem adornaturus menſam, ad quam quotidiani victus ventrem tecum afferas, nam nobis abunde ſunt ea, ut Columella loquitur *L. XII. c.* 44. quæ ex facili ruſticæ ſimplicitati non magna impenſa poſſunt contingere. URB. Afferam utique quotidiana corporis exercitatione obſonante famem. EURAS. Hanc igitur ſex miſſibus propulſandam ſpero: ſpes autem cænatica unius ſcutellæ circumſcribetur levamento: extra id tempus micam aut guttam tangere nefas eſto. PHILOM. Diſpeream, ſi quis, poſtquam ſex ferculorum prandio funus fecerit, fame jugulandus ſit. URB. Sed illa ſapiant palato. PHILOM. Sapiant: nulla tamen lege adſtringaris, ut in ſingula edas ſtragem. EURAS. Æqua iſthæc conditio, ut a cibo, quo corpus reficitur, gula non abhorreat: etenim nec voluptas nobis, ut Stoicis, tanquam hoſtis repudianda eſt: nec ut Epicureis ſummum bonum in voluptate ponendum: excogitemus alacritatem laſcivia carentem. *Macrob. L. II. Satur. c.* 1. PHILOM. Recte igitur Martialis *L. XIV. Epigr.* 207.

Non

Non ſatis eſt ars ſolo coco ſervire palato:
Namque cocus domini debet habere gulam.

Euras. Nec illud crimini dandum Epicuro, quod eo uſus fuerit cibo, qui & ſuaviſſimus, & ad concoquendum facillimus eſſet atque inflationem nullam haberet: nam, licet dulcedine voluptatis tantum, cibos capere ſeverior philoſophia prohibeat, non tamen propterea ea ſolum, quæ ingrati acerbique ſaporis ſunt, fercula ſtomachanti ſtomacho ingerenda præcipit: flatulentos vero, crudos, ad digerendum difficiles, ac vitioſi ſucci cibos ab iis, qui non ruris, ſed ingenii labore deſudant, melior medicina proſcribit. Sint igitur cibi illi tenues, molliculi, faciles, ſimplicesque; nec ſtruices quædam patinariæ, quarum vel unius molem expugnare labor ſit Herculis, & plenus faſtidii; pernicioſiſſimum enim in omni quidem vita, quod nimium, præcipue tamen corpori, minuique, quod gravet, quolibet modo utilius. *Plin. L. XI. S.* 119. diſtendentur enim corpora & animi cum corpore tumeſcunt. *Senec. de ira L. II. c.* 20. Nec deſunt multorum exempla, qui, cum facultates & valetudinem convivando in urbe prodegiſſent, ruri agentes rationibus cum culina putatis & ære alieno emerſerunt & morbo, ſimplicis nempe cibi beneficio, quales rus ſuppeditat. Nam, ut bene advertit Plinius *l. l.* homini cibus utiliſſimus ſimplex: acervatio ſaporum peſtifera, & condimento pernicioſior: difficulter autem perficiuntur omnia in cibis acria, nimia & avide hauſta: & æſtate, quam hieme difficilius & in ſenecta, quam in juventa. Egregia eſt hujus rei adhortatio Plutarchi in *præcept. ſal.* ut aſſuefaciamus, nec puerorum more averſemur rationem illam victus, verum appetentiæ ſenſim familiarem reddamus & domeſticam, ne dum cibum ſimplicem nullo adhibitò pulmento vel condimento capimus, ſtomachemur. Siquidem recte eſt dictum, inquit,

VII. *Cibi ſimplices,*

inquit, vitam delige optimam: efficiet tibi conſuetudo eam jucundam: & ſigillatim, ut unumquodque exploranti ex uſu eſt: præſertim victum oportet & corporis curam in optima valetudine ita comparare conſuetudine, ut placida naturæ, ut aſſueta & familiaris ſit. Nec diffitetur, difficile eſſe cum ventre contendere, qui auribus, ut dixit Cato, caret. Philom. Verum & illud te non latebit Horatii *Serm. L. II. Sat.* 2. *&* 7.

Jejunus raro ſtomachus vulgaria temnit.
- - - - - ſiccus inanis
Sperne cibum vilem.
- - - - - cum ſale panis
Latrantem ſtomachum bene leniet,
- - - - ſi nusquam es forte vocatus
Ad cænam, laudas ſecurum olus.

VIII. *& Salubres.* Euras. Ad quod ipſum attendens Aſclepiades medicamentorum uſum ex magna parte ſuſtulit, & ad ipſius victus rationem potius omnem curam ſuam tranſtulit. *Celſ. L. V. præf.* Nam medicina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum; nec mirum eſt, ſcribit Seneca, tunc illam minus negotii habuiſſe, firmis adhuc ſolidisque corporibus & facili cibo, nec per artem voluptatemque corrupto; qui poſtquam cœpit non ad tollendam, ſed ad irritandam famem quæri, & inventæ ſunt mille conditura, quibus aviditas excitaretur, quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis - - Immunes erant ab iſtis malis, qui nondum ſe deliciis ſolverant, qui ſibi imperabant, ſibi miniſtrabant. Corpora opere ac vero labore durabant, aut curſu defatigati, aut venatu, aut tellure verſata: excipiebat illos cibus, qui niſi eſurientibus placere non poterat. Itaque nil opus erat tam magna medicorum ſupellectili, nec tot ferramentis, aut pyxidibus. Simplex erat ex

ſimplici

ſimplici cauſa valetudo: multos morbos multa fercula fecerunt. *Senec. Epiſt.* 95. Crates, qui ſeditiones & tyrannides ex deliciis & luxu in urbibus naſci arbitrabatur, per jocum monebat, ne præ lenticula ſemper augendo patinam in ſeditionem nos conjiciamus: tu vero tibi ipſi ſubjicias, Cratis monitum aſſumens reponit Plutarchus, ne præ lenticula augendo ſemper patinam, neque ſemel naſturcium & oleam transvolando ad farcimem & piſcem in ſeditionem corpus conjicias; namque cibaria viliora modo naturali appetentiam retinent: at popinarum ingenioſa commenta & architectorum hujuscemodi operoſæ cupediæ terminos voluptatis ſemper promovent longius, & id, quod conducit, prætereunt. *Plutarch. l. l.* Videmus enim illos, qui ſimplici ac vulgari cibo utuntur familiarem quodam modo habere ſanitatem, ac ruri, in quo facile parabilibus ac domeſticis cibis veſci ſolemus, ignota eſſe illa monſtra morborum, quibus docta ad nos interimendos varietate ciborum in urbe conflictamur, ut adeo nobis non conſtare non poſſit, id genus alimoniæ non magis copia, quam varietate eſſe inimicum; cruditates ſiquidem illæ, ut eleganter deducit Macrobius, naſcuntur aut qualitate ſucci, in quem cibus vertitur, ſi non ſit aptus humori, qui corpus obtinuit: aut ipſius cibi multitudine, non ſufficiente natura ad omnia, quæ congeſta ſunt, concoquenda. Qui ſimplicem cibum ſumit, facile quo ſucco corpus ejus vel juvetur, vel gravetur, uſu docente cognoſcit: qui autem multiplici cibo alitur, diverſas patitur qualitates ex diverſitate ſuccorum: hinc morborum ſcaturigo, qui ex repugnantium ſibi humorum discordia naſcuntur. Deinde quia non omnium, quæ eſui ſunt, una natura eſt, non omnia ſimul concoquuntur, ſed alia celerius, tardius alia, & ita ſit, ut digeſtionum ſequentium ordo turbetur. Cum igitur tot tamque diverſa in follem ventris reje-

IX. *Cibi multiplices multiplicium cauſæ morborum.*

cta ferre & concoquere ſtomachus nequeat, eo ægreſcente, qui paterfamilias dici meruit, vita in ancipiti eſt, titubante alimoniæ meatu, cui natura tanquam rationis capaci velle ac nolle contribuit. Et ita ſit, ut, velut cibum ſolus venter accipit & alimonia ejus diſperſa per univerſos membrorum meatus oſſa quoque & medullas & ungues nutrit & capillos, ita, ſi pars corporis ægreſcat, in ipſum quaſi infirmiorem ultima illa retrimenta labuntur, ex quibus naſcuntur morborum cauſæ. Explicata dein per diverſa concoctionum genera functione naturali, proſequitur: ſi fuerit ultimi ſucci juſto uberior multitudo, hanc a ſe repellit pars corporis illa, quæ ſanior eſt, & ſine dubio labitur in infirmam, quæ vires non habet repellendi; unde alieni receptio diſtendit locum, in quem ceciderit, & hinc creantur dolores. Hæc eſt ergo triplex cauſa vel podagræ, vel cujuslibet morbi, multitudo humoris, fortitudo membri a ſe repellentis, & recipientis infirmitas. Invenietur, quid impedimenti ex multiformi naſcatur alimonia, neceſſe eſt; diverſorum enim ciborum diverſa natura eſt: & ſunt qui celerius, ſunt qui tardius digeruntur. Cum ergo prima digeſtio vertit in ſuccum, quia non ſimul accepta omnia vertuntur, quod prius verſum eſt, dum alia tardius vertuntur, aceſcit. Alia quoque, quibus tarda digeſtio eſt, velut ligna humida, quæ urgente igne fumum de ſe creant, ſic & illa imminente igne naturæ fumant, dum tardius concoquuntur. Cibus autem ſimplex non habet controverſam moram, dum ſimul in ſimplicem ſuccum vertitur: nec digeſtio ulla turbatur, dum omnes ſibi ſtata momentorum dimenſione ſuccedunt. Multiformis alimoniæ quoque deprehenditur cauſa morborum: nam pulmentorum varietas recipit varia condimenta, quibus gula, ultra quam naturæ neceſſe eſt, laceſſitur: & ſit inde congeries, dum pruritu deſiderii amplius vel certo

de

de ſingulis parva libantur; nam ut ſcribit Seneca *Epiſt.* 2. faſtidientis ſtomachi eſt multa deguſtare; quæ ubi varia ſunt & diverſa, inquinant, non alunt. Hinc Socrates ſuadere ſolitus erat, illos cibos potusque vitandos, qui ultra ſitim famemve ſedandam producunt appetentiam. *Macrob. L. VII. Saturn. c.* 4. Nollem tamen tibi auctor eſſe, ut ſevera illa ſimplicitate ciborum utaris, quam primo Macrobius viſus eſt commendaſſe, unum unicum nempe, ac ſemper ſibi æqualem, nulla arte, ſed natura veluti præparatum cibum. Urb. Panem coctum dicis, aut carnes igne expeditas. Philom. Immo olera & fructus teſte Varrone *L. II. c.* 1. & Ovidio *L. IV. Faſtor.* ubi hunc ordinem progreſſumque ciborum pandit:

X. *Majorum noſtrorum cibus ſimplex fuit.*

Meſſis erat primis virides mortalibus herbæ,
Quas tellus nullo ſollicitante dabat.
Et modo carpebant vivaci ceſpite gramen;
Nunc epulæ tenera fronde cacumen erant,
Poſtmodo glans nata eſt: bene erat jam glande reperta:
Duraque magnificas quercus habebat opes.
Prima Ceres homini ad meliora alimenta vocato
Mutavit glandes utiliore cibo.
Illa jugo tauros collum præbere coegit:
Tum primum ſoles eruta vidit humus.

Euras. Unde Varro *L. I. de vit. Pop. Rom.* ſcribit, quod ne quidem piſtoris nomen fuerit, niſi ejus, qui far pinſebat. Et Plinius *L. XVIII. S.* 28. teſtatur, piſtores Romæ non fuiſſe ad Perſicum usque bellum, annis ab urbe condita ſuper DLXXX. ipſos panem feciſſe Quirites, certumque eſſe Atteji Capitonis ſententia, toſtum panem cocos lautioribus coquere ſolitos; cocum ſiquidem & piſtorem apud antiquos eundem fuiſſe accepimus. *Feſt. L. III.* ubi affert hunc Nævii verſum:

Cocus edit Neptunum, Venerem, Cererem.

Et explicat, per Cererem panem, per Neptunum piſces, per Venerem olera ſignificari, velut familiari Romanis cibo. Philom. Extant adhuc Romanæ frugalitatis maxime in villis uſurpatæ veſtigia, cum menſæ non alia inferrentur fercula, adhuc Horatii ætate

- - - præter olus fumoſæ cum pede pernæ.
Ac mihi ſeu longum poſt tempus venerat hoſpes,
Sive operum vacuo gratus conviva per imbrem
Vicinus; bene erat, non piſcibus urbe petitis,
Sed pullo atque hœdo; tum penſilis uva ſecundas
Et nux ornabat menſas cum duplice ficu.
Horat. Serm. L. II. Sat. 2.

Urb. Ridet tamen contemnitque velut faſtidia afferentes viles ſimplicesque cibos ipſe Horatius *Serm. L. II. Sat.* 8. ut ſunt

- - - - - acria circum
Rapula, lactucæ, radices: qualia laſſum
Pervellunt ſtomachum: ſiſer, alec, fœcula Coa.

Atque ideo *Sermon. L. II. Sat.* 2. quærit:

Quali igitur victu ſapiens utetur? & horum
Utrum imitabitur? hac urget lupus, hac canis angit.

Euras. Rationis gubernaculo & appetentiam illam & ſimplicitatem ciborum temperandam eſſe monet Macrobius *L. VII. c.* 5. ſi ergo cibo vivimus, inquiens, & cibum appetentia ſola commendat, elaborandum nobis eſt commento varietatis, ut hæc ſemper provocetur, cum præſto ſit ratio, quia intra moderationis terminos temperetur. - - Nec ſic admitto varietatem, ut luxum probem. Et dum magis oſtentui, quam uſui ſervitur, ſilvarum ſecretum omne luſtratur, & peregrina maria ſolicitantur; ita enim fit, ut etiamſi ſanitatem ſumentium mediocritas obſervata non ſauciet, ipſe tamen luxus morum

rum ſit ægritudo. Urb. Ea ipſa ratio, quæ ruri, etiam in urbe appetentiam illam coercere poterit. Euras. Non advertis latentis captionis inſidias, quas tibi urbs ſtruit, extruendo ſplendidis dapibus oneratam menſam: hanc tibi rus facili tantum ac ſimplici adornat cibo; ut adeo haud ita difficile ſit, carere epulis nunquam oblatis: operoſum autem ait Plutarchus *l. l.* in conviviis & invitationibus aſſuetam ſuam temperantiam retinere, niſi omnibus velis cum nimia torvitate odioſus & importunus haberi. Philom. Quotusquisque eſt enim, qui invitanti dicat cum Horatio *L. I. Epiſt.* 7.

XI. *In urbe varius eſſe cœpit:*

> Si me vivere vis ſanum, recteque valentem,
> Quam mihi das ægro, dabis ægrotare timenti,
> Mecænas, veniam.

Euras. Cum igitur res plena difficultatis ſit, tot, tamque frequenter oblatis ſe ſemper arcte continere epulorum deliciis, quas ruri agentes non tam defugimus, quam neſcimus, in urbe innumerabiles eſſe morbos non miraberis, ſcribit Seneca *Epiſt.* 95. tranſeo piſtorum turbam, tranſeo miniſtratorum, per quos ſigno dato ad inferendam cœnam diſcurritur. Dii boni! quantum hominum unus venter exercet. Et paulo ſupra dixit: vide, quantum rerum per unam gulam tranſiturarum permiſceat luxuria, terrarum, marisque vaſtatrix: neceſſe eſt itaque inter ſe tam diverſa diſſideant, & hauſta male digerantur, aliis alio nitentibus. Nec mirum, quod inconſtans variusque ex diſcordi cibo morbus eſt: & illa ex contrariis naturæ partibus in eundem compulſa redundat; inde tam nullo ægrotamus genere, quam vivimus. Urb. Mordacior in carpendis urbis moribus nunquam non fuit Annæus philoſophus. Euras. Sed nihilo mitior Columella *L. I. præf.* ut apti veniamus ad ganeas, inquiens, quotidianam cruditatem Laconicis (lactucis) excoquimus & exſucto ſudore ſitim

XII. *Cujus luxus damnatur,*

quærimus, noctesque libidinibus & ebrietatibus, dies ludo vel ſomno conſumimus, ac nosmet ipſos ducimus fortunatos, quod nec orientem ſolem videmus, nec occidentem. Itaque iſtam vitam ſocordem perſequitur valetudo: nam ſic juvenum corpora fluxa & reſoluta ſunt, ut nihil mors mutatura videatur. Urb. Quinam illi morborum greges? Euras. Si promittas te non offendi, afferam integrum ex iſta convivandi luxuria natum. Sed noli rogare, quod impetrare nolueris. Urb. Qui offendar? Et ſi moleſte excipiam, quod enixe rogo, punienda eſt mea levitas obſequendi facilitate. Euras. Accipe igitur laudati Senecæ verba, non mea: inde pallor, inquit, & nervorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruciatibus, quam ex fame macies: inde incerti labantium pedes & ſemper, qualis in ipſa ebrietate, titubatio: inde in totam cutem humor admiſſus, diſtentusque venter, dum mala aſſueſcit plus capere, quam poterat: inde effuſio luridæ bilis & decolor vultus, tabesque in ſe putreſcentium, & retorti digiti articulis obrigeſcentibus, nervorum ſine ſenſu jacentium torpor, aut palpitatio ſine intermiſſione vibrantium. Quid capitis vertigines dicam? quid oculorum auriumque tormenta & cerebri æſtuantis verminationes, & omnia per qua exoneramur, internis ulceribus affecta? Innumerabilia præterea febrium genera, aliarum impetu ſævientium, aliarum tenui peſte repentium, aliarum cum horrore & multa membrorum quaſſatione venientium? quid alios referam innumerabiles morbos, ſupplicia luxuriæ - - has uſuras voluptatum pendimus ultra modum fasque concupitarum. *Senec. Epiſt.* 95. Urb. Sunt profecto hæc morborum genera in urbibus frequentiora. Philom.

Quæ niſi divitibus nequeunt contingere menſis.

Horat. L. II. Serm. Sat. 4.

Nempe

Nempe inamareſcunt epulæ ſine fine petitæ,
Illuſique pedes vitioſum ferre recuſant
Corpus. *Ib. Sat.* 7.

Euras. Ut igitur iſta lues denique vincatur, adverſus tantam morum everſionem omnia tentanda eſſe monet; & *L. de conſol. c.* 9. o miſerabiles! exclamat, quorum palatum, niſi ad pretioſos cibos, non excitatur. Pretioſos autem non eximius ſapor aut aliqua faucium dulcedo, ſed raritas & difficultas parandi facit; alioquin ſi ad ſanam illis mentem placeat reverti, quid opus eſt tot artibus ventri ſervientibus? quid mercaturis? quid vaſtatione ſilvarum? quid profundi perſcrutatione? paſſim jacent alimenta, quæ rerum natura omnibus locis diſpoſuit: ſed hæc velut cæci tranſeunt, & omnes regiones pervagantur, maria trajiciunt, & cum famem exiguo cibo poſſint ſedare, magno irritant. Urb. Ipſus ego haud raro hunc conviviorum luxum, & æri & cuti, parum amicum deteſtatus ſum, quem ex antiquis Germaniæ moribus fluxiſſe ſuſpicabar. Euras. Immo Romanis: etſi enim illi ſolennibus epulis multum indulſerint, luxu tamen ab his facile ſuperabantur: exemplo ſit illud, quod in indice quarto Metelli illius pontificis apud Macrobium *L. II. c.* 9. in hæc verba legitur: ante cœnam echinos, oſtreas crudas quantum vellent, peloridas, ſpondylos; turdum, aſparagos. Subtus gallinam altilem, patinam oſtrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos: iterum ſpondylos, glycomaridas, urticas, ficedulas, lumbos, capragines, aprungos, altilia ex farina involuta, ficedulas, murices & purpuras. In cœna ſumina, ſinciput aprugnum, patinam piſcium, patinam ſuminis, anates, querquedulas elixas, lepores, altilia aſſa, amylum, panes Picentes. An dicam concoqui talia, aut potius ſumpta putreſcere? En! quam merito in hos Urbis Romanæ mores invectus Plinius

nius *L. XXVI. S.* 28. ſcribat: plurimum homini negotii alvus exhibet, cujus cauſa major pars mortalium vivit: alios enim cibos non transmittit, alios non continet, alios non capit, alios non conficit: eoque mores venere, ut homo maxime cibo pereat. Peſſimum corporum vas inſtat, ut creditor, & ſæpius die appellat. Hujus gratia præcipue avaritia expetitur: huic luxuria conditur: huic navigatur ad Phaſin: huic profunda vadi exquiruntur, & nemo vilitatem ejus æſtimat conſummationis fœditate. Ergo numeroſiſſima eſt circa hanc medicinæ opera. *Plin. l. l.* PHILOM. Igitur poſt lauta urbis convivia

XIII. *& Laudatur ciborum ſimplicitas.*

Accipe nunc, victus tenuis quæ quantaque ſecum
Afferat. Imprimis valeas bene: non variæ res
Ut noceant homini, credas, memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit. At ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis,
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoque tumultum
Lenta feret pituita. Vides, ut pallidus omnis
Cœna deſurget dubia? quin corpus onuſtum
Heſternis vitiis animum quoque prægravat una,
Atque affligit humo divinæ particulam auræ.

Horat. L. II. Serm. Sat. 2.

URB. Beatius eſſe in urbe opimis ferculis, ſalubrius vero Ruri ſimplicibus cibis veſci quis ibit inficias? PHILOM.

Rure ego viventem, tu dicis in urbe beatum.
Cui placet alterius, ſua nimirum eſt odio ſors.
Stultus uterque locum immeritum cauſatur inique:
In culpa eſt animus, qui ſe non effugit unquam.

Horat. L. I. Epiſt. 14.

EURAS. Tantum cibi & potionis adhibendum monet Cicero *de ſeneƈt.* ut reficiantur vires, non opprimantur; hanc ergo ſanam

ſanam & ſalubrem formam vitæ tenere memento, ut corpori tantum indulgeas, quantum valetudini ſatis eſt, *Senec. Ep.* 8. quod ne quidem auctore facilius ruri, quam in urbe præſtiteris. Nec vero corpori ſoli ſubveniendum eſt, ſed etiam menti: atque animo multo magis; nam hæc quoque, niſi tanquam lumini oleum inſtilles, extinguuntur ſenectute. *Cicer. l. l.* URB. Bœoticum ænigma loqueris: quod illud animi oleum? EURAS. Libertas eſt & tranquillitas animi, ignotum in urbe bonum. Etſi enim bene moratus venter pars magna valetudinis ſit, major tamen bene moratus animus, a quo illa ob id, quod animam inter & corpus intercedit commercium, maxime pendet, adeo ut, ſi animus æger ſit, ſanum ſalvumque corpus eſſe non poſſit. Ideo præcepit Plato apud Plutarch. *Præcept. Salu.* ne corpus absque animo, neque absque corpore agitemus animum, ne contingat nobis, quod bos conſervo ſuo camelo, qui parte oneris eum ſublevare nolebat, poſt mortem ſuam eventurum dixit, tu vero, inquiens, & me & omnia hæc brevi portabis. Et quamvis teſte Seneca, *Epiſt.* 28. & 55. locus non multum conferat ad animi tranquillitatem, ſi vitia noſtra circumferamus, aut animi onus non deponamus; animi tamen tranquillitas plurimum confert ad valetudinem corporis; ideo ſuadet eum locum eligendum, qui cæteris quietior, turbis ac vitiis minus opportunus; nam ut loca gravia, inquit, etiam firmiſſimam valetudinem tentant, ita bonæ quoque menti, nedum adhuc perfectæ & convaleſcenti ſunt aliqua parum ſalubria. Quid autem gravius foro? quid moleſtius turbis? quid inſolentius populo? PHILOM. Horatius certo incommoda, quæ vitam urbanam comitantur, referens, negat ſe aut a curis, aut periculis, aut invidia liberum, beatum tranquillumque animum inter urbis Romanæ turbas habere poſſe *L. II. Serm. Sat.* 6.

XIV. *Animum ruri eſſe liberiorem.*

XV.
In urbe curis implicatum,

\- - - - - Romæ ſponſorem me rapis: eja,
Nec prior officio, quisquam reſpondeat; urge:
Sive Aquilo radit terras, ſeu Bruma nivalem
Interiore diem gyro trahit, ire neceſſe eſt.
Poſtmodo, quod mi obſit, clare certumque locuto,
Luctandum in turba: facienda injuria tardis.
Quid vis inſane? & quas res agis? improbus urget
Iratis precibus. Tu pulſes omne quod obſtat.
\- - - - - at ſimul atras
Ventum eſt Exquilias, aliena negotia centum
Per caput & circa ſaliunt latus: ante ſecundam
Roſcius orabat ſibi adeſſes ad puteal cras:
De re communi ſcribæ magna atque nova te
Orabant hodie, meminiſſes Quincte reverti.
Per totum hoc tempus ſubjectior indiem & horam
Invidiæ - - -
Quicunque obvius eſt, me conſulit: o bone (nam te
Scire, deos quoniam propius contingis, oportet)
Numquid de Dacis audiſti? nil equidem: ut tu
Semper eris deriſor? at omnes Dî exagitent me,
Si quidquam. Quid? militibus promiſſa Triquetra
Prædia Cæſar, an eſt Itala tellure daturus?
Jurantem me ſcire nihil, mirantur, ut unum
Scilicet egregii mortalem altique ſilenti.
Perditur hæc inter miſero lux, non ſine votis.

XVI.
Aſſidua ſui obſervatione.

Euras. Haud vacat ire per ſingulas urbis moleſtias: aliquas tantum afferam jam ab antiquis notatas damnatasque velut tranquillitatis libertatisque animi inimicas. Has inter eſt illa ſtudioſe quæſita ac aſſidua ſui obſervatio, de qua Seneca *L. de tranquil. c.* 15. eſt & illa ſollicitudinum non mediocris materia, ſi te anxie componas, nec ulli ſimpliciter oſtendas, qualis

qualis multorum vita eſt, ficta & oſtentationi parata. Torquet enim aſſidua obſervatio ſui & deprehendi aliter, ac ſolet, metuit: nec unquam cura ſolvimur, ubi toties nos æſtimari putamus, quoties aſpici. Nam & multa incidunt, quæ invitos denudent: & ut bene cedat tanta ſui diligentia, non tamen jucunda vita, aut ſecura eſt, ſemper ſub perſona viventium. At illa quantum habet voluptatis ſincera & per ſe ornata ſimplicitas nihil obtendens moribus ſuis? Subit tamen & hæc vita contemptus periculum, ſi omnia omnibus patent: ſunt enim qui faſtidiant, quidquid propius audierunt. Sed nec virtuti periculum eſt, ne admota oculis revileſcat: & ſatius eſt ſimplicitate contemni, quam perpetua ſimulatione torqueri. Modum tamen rei adhibeamus, multum intereſt, ſimpliciter vivas, an negligenter. *Senec. l. l.* Negligenter vivere nec ruri quidem licet, in urbe nec ſine moleſta illa ſui obſervatione, animoque ad illius mores compoſito. Huic affinis altera incommoditas ex illo parum opportuno nec ſibi conſtante veſtium luxu nata, cujus iniquas leges vir probus ac ſapiens ruri facile contemnere, in urbis vero conſpectu non ſervare non poteſt. Qua in re neſcio, an quis mollior aut ſuperſtitioſior Q. Hortenſio, utpote qui in præcinctu omnem decorem ponebat: fuit enim veſtitu ad munditiem curioſo &, ut bene amictus iret, faciem in ſpeculo ponebat, ubi ſe intuens togam corpori ſic applicabat, ut rugas non forte, ſed induſtria locatas artifex nodus conſtringeret & ſinus ex compoſito defluens nodum lateris ambiret. Is quondam cum incederet elaboratus ad ſpeciem, collegæ de injuriis diem dixit, quod ſibi in anguſtiis obvius offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat, & capital putavit, quod in humero ſuo locum ruga mutaſſet. *Macrob. Saturn. L. II. c. 9.* Non offendunt te molles adeo & delicati mores, ut ne in veſtibus quidem,

 dem,

dem, quas ad tegendum corpus nobis natura tribuit, id quod commodum tibi atque opportunum videbitur, ſequi poſſis, ſed populi conſuetudinem & diſciplinam, ne diffidere videaris a publicis moribus, a quibus ſive pendeas, ſive deſciſcas, nunquam vacuus erit animus aut veſtis odioſæ, aut populi inviſi moleſtia. Major adhuc in ferendis ferendisque ſermonibus occurrit difficultas. Nec jam de aliis dicam, quam convivalibus, qui quam torti, quam ſteriles, quam fraude & ſimulatione conſuti ſint, ii melius noverint, quibus non genio ſuo morem gerere, ſed omnibus ſervire propoſitum eſt, qua neſcio quid dirius ſervitute? ferendum inter pocula ſermonem, qui aliquam commendationem & litteratam diſputationem habeat, ut nullum diei tempus docte aliquid vel lepide proferendi vacuum relinquatur, Plutarchus *L. VIII. Quæſt. conviv.* monet: abſit tamen omnis furor & ferocia a Muſis, habeatque ille voluptatis amplius, ſeveritatis minus: neque enim recte inſtitutus animus requieſcere aut utilius, aut honeſtius usquam poteſt, quam in aliqua opportunitate docte ac liberaliter colloquendi: interrogandique & reſpondendi comitate, ut crateri liquoris ad lætitiam nati adhibeatur non modo lympharum, ſed Muſarum quoque admixtione temperies. *Macrob. L. I. & VII. Saturn.*

XVII. *An, & qualis philoſophia menſis adhibenda?*

Urb. Philoſophiam etiam menſis adhibendam cenſes? Euras. Dubitabat ille, an conviviis intereſſe poſſit, aut potius tanquam cenſoria quædam & plus nimio reverenda materfamilias penetralibus ſuis ſe continere, ac minime ſe miſcere Libero, cui etiam tumultus familiares ſunt, cum ipſa hujus ſit verecundiæ, ut ſtrepitum non modo verborum, ſed ne cogitationum quidem in ſacrarium ſuæ quietis admittat. Sed abſit, reponit alter apud Macrobium *L. VII. c. 1.* ut philoſophia, quæ in ſcholis ſolicite tractat de officiis convivalibus, ipſa convivia reformidet; tanquam

Digitized by Google

quam non poſſit rebus aſſerere, quæ ſolet verbis docere, aut neſciat ſervare modum, cujus in omnibus humanæ vitæ actibus terminos ipſa conſtituit. Cur enim, ubi ſermo permittitur, honeſtus ſermo prohibetur? maxime, cum non minus, quam dulcedo vini, hilarent verba convivium. Quando autem philoſophiæ triclinii pando fores, non de ipſis profunditatis ſuæ ſecretis inter pocula loquetur, nec nodoſas & anxias, ſed utiles quidem, faciles tamen quæſtiones movebit. Quam inſipienter enim ſyllogiſmis philoſophicis fercula condires? dialectica enim, ut Plutarchus *de præcept. ſal.* perhibet, ſuper cœnam modo dulciariorum, quæ ex granis mali Punici facta ſunt, tum minime grata eſt palato, tum mire capiti dolorem & fatigationem creat. Abſint non ſolum conlatrantium clamores illi & convicia, verum & omnis quæſita philoſophiæ jactatio, quæ Seneca teſte *Epiſt.* 103. multis fuit periculi cauſa inſolenter tractata & contumaciter. Licet ſapere ſine pompa, ſine invidia. Secum æſtimet, hortatur Macrobius, præſentium ingenia convivarum: & ſi plures peritos, vel ſaltem amatores ſui in convivii ſocietate repererit, ſermonem de ſe patiatur agitari; quia velut paucæ litteræ multum diſperſæ inter multas vocales in ſocietatem vocis facile manſueſcunt, ita rariores imperiti gaudentes conſortio peritorum aut conſonant, ſi qua poſſunt, aut rerum talium capiuntur auditu. Et ſi opportunitas neceſſariæ reprehenſionis emerſerit, ſic a philoſopho proficiſcetur, ut & tecta & efficax ſit. Quid mirum, ſi feriet ſapiens non ſentientes, cum interdum ſic reprehendat, ut reprehenſus hilaretur.

Urb. Verum omne id genus philoſophandi mores noſtri reſpuunt, importunumque vocant antiquatæ ſcientiæ magiſterium. Euras. Atque ideo dixi, etiam ſermones in urbanis conviviis plenos eſſe periculi, & multis moleſtiis obnoxios: XVIII. *Sermonis libertas*

cum e contrario in villa ob ipſius loci ſimplicitatem non ſolum verba, ſed & animum effundere liceat in ſinus amicorum, velut in Tuſculana villa in ſedibus, quæ erant ſub platano, conſidentes viri conſulares L. Craſſus, Q. Mucius Scævola & M. Antonius de oratore: in viridi opacaque ripa inter proceriſſimas populos M. Tullius & T. Pomponius Atticus de philoſophia: in æde Telluris M. T. Varro, Fundanius, Agrius, & Agraſius de re ruſtica diſertiſſime diſputarunt; quam confabulandi rationem noſtra ætate ſublatam fuiſſe haud ſemel vehementer dolui. Philom. In villa vero Horatio teſte *L. II. Sat.* 6.

Sermo oritur, non de villis domibusque alienis,
Nec male, necne lepos ſaltet: ſed quod magis ad nos
Pertinet, & neſcire malum eſt, agitamus: utrumne
Divitiis homines, an ſint virtute beati?
Quidve ad amicitias, uſus, rectumve trahat nos:
Et quæ ſit natura boni, ſummumque quid ejus.

XIX. *& Vacatio ab occupationibus,*

Euras. Hæc ſi nullam tibi ægritudinem afferunt, ſuperſunt plura in urbe incommoda, quæ animum multis curis aut macerent, aut certo implicent, ut nunquam ab illis vacuus dici, aut ſibi libere vacare poſſit. Aſpice, quamdiu computent, ſcribit Seneca, quamdiu inſidientur, quamdiu timeant, quamdiu colant, quamdiu colantur, quantum vadimonia ſua, atque aliena occupent, quantum convivia, quæ jam ipſa officia ſunt; videbis, quemadmodum illos reſpirare non ſinant vel mala ſua, vel bona. Denique inter omnes convenit, nullam rem exerceri bene poſſe ab homine occupato: non eloquentiam, non liberales diſciplinas: quando diſtrictus animus nihil altius recipit, ſed omnia velut inculcata reſpuit. Nihil minus eſt hominis occupati, quam vivere. *Senec. de brevit. vit. c.* 6. Et tu, qui tantum vitam commodam & jucundam agere, ſed

præ

præ cæteris valetudinem curare conſueveras, tot negotiis implicatus, ne ſentias quidem te vivere, atque ante ſcias, te perveniſſe ad vitæ terminum, quam appropinquaſſe! Quid jam dicam de publicis muneribus, de officiis civilibus, de fori negotiis, de adminiſtratione Reipublicæ? an credis hisce talibus vel ad horam animum eximi parte ſolicitudinis? puto potius vires atteri aſſiduo labore, qui tamen nunquam ſine odio, ſine invidia, ſine offenſione exerceri poteſt. Etſi enim laudabile ſit, utilem ſe civibus efficere, ac in mediis officiis pro Republica ponere, ſed quia in hac tam inſana hominum ambitione, tot calumniatoribus in deterius recta torquentibus, parum tuta ſimplicitas eſt, & plus futurum ſemper eſt, quod obeſt, quam quod ſuccedat, a foro quidem & publico recedendum eſt. *Senec. de tranq. c.* 3. Quamvis enim te abſcondas, prodeſſe tamen ſingulis poteris & univerſis ingenio & conſilio; eo enim animo ad otium ſapiens ſecedit, ut agat, per quæ poſteris proſit. Hac ratione *Seneca de otio ſap. c.* 32. Zenonem & Chryſippum dicit majora egiſſe, quam ſi duxiſſent exercitus, geſſiſſent honores, leges tuliſſent, quas non uni civitati, ſed toti humano generi tulerunt. Urb. Ab odio igitur, invidia, contemptu & improborum artibus me in prædio deliteſcentem tutum fore promittis? Euras. Promittere tibi hoc non magis poſſum, idem tibi reſpondet philoſophus, quam in homine temperante bonam valetudinem: & tamen facit temperantia bonam valetudinem. Perit aliqua navis in portu: ſed tu quid accidere in medio maris credis? quanto huic periculum paratius foret multa agenti molientique, cui ne otium quidem tutum eſt? pereunt aliquando innocentes, quis negat? nocentes tamen ſæpius. *Senec. Epiſt.* 14. Securum te igitur reddere minime poteſt: ſecuriorem tamen te ruri fore ait: a contemptu quidem, ſi velut Brutus privatam agens vitam

XX. *atque Multis odiis ruri agenti conceſſa laudatur.*

vitam deliteſcas; nemo homini contempto pertinaciter, nemo diligenter nocet. Spem improborum vitabis, ſi nihil habueris quod cupiditatem alienam & improbam irritet. Invidiam effugies, ſi te non ingeſſeris oculis, ſi bona tua non jactaveris, ſi ſcieris in ſinu gaudere. Odium autem ex offenſa ſic vitabis, neminem laceſſendo gratuito, a quo te ſenſus communis tuebitur. Nihil tamen æque proderit, quam quieſcere & minimum cum aliis loqui, plurimum ſecum. Philom. Ad hæc ubi amplior campus, quam in villa? Illuc aſpirabat Horatius *Serm. L. II. Sat.* 6.

> Hoc erat in votis: modus agri non ita magnus,
> Hortus ibi & tecto vicinus jugis aquæ fons,
> Et paulum ſilvæ ſuper his foret: auctius atque
> Di melius fecere: bene eſt: nihil amplius oro.
> \- - - - - - o ſi angulus ille
> Proximus accedat, qui nunc denormat agellum.
> Nec mala me ambitio perdit.

Euras. Illuc, qui Rempublicam tractare ſolebant, tranquillitatis cauſa receſſerunt. Dici memini, ſcribit Cicero *de orat. I.* ludorum Romanorum diebus L. Craſſum, quaſi colligendi ſui cauſa ſe in Tuſculanum contuliſſe. Ipſe Tullius filio ſuo roganti, ut de ratione dicendi, quæ Græce tradidit, Latine reddere poſſet, reſpondit, quam primum eſſet otium: otium autem primum ſummum datum eſt, quoniam aliquando Roma exeundi poteſtas data eſt. En! otium, quietem, tranquillitatemque animi, & quæ ſine his haberi non poteſt, corporis valetudinem non Romæ, ſed ruri quærebant. Philom. Non poſſum imperare mihi, quin ad Horatium meum redeam, qui cum notum illum induxiſſet apologum *L. II. Sat.* 6.

> Ruſticus urbanum murem mus paupere fertur
> Accepiſſe cavo, veterem vetus hoſpes amicum:

ac

ac ruſticus paulo poſt urbanum conveniſſet, atque pretioſa inter fercula, bonisque rebus lætum convivam egiſſet, tandem his verbis inſtitutæ fabellæ exitum expedit:

> \- - - - - cum ſubito ingens
> Valvarum ſtrepitus lectis excuſſit utrumque:
> Currere per totum pavidi conclave, magisque
> Exanimes trepidare, ſimul domus alta moloſſis
> Perſonuit canibus. Tum ruſticus: haud mihi vita
> Eſt opus hac, ait, & valeas: me ſilva cavusque
> Tutus ab inſidiis tenui ſolabitur ervo.

URB. Teneo, quæ dicis: nec diutius defraudabo ingenium meum, ſed citis quadrigis in villam properare cogito: vos amico amice amicam manum porrigite. EURAS. Dabimus operam, ut, quæ ſcire amas, ruri agenti proxime ad rem ruſticam facientia ſuggeramus veterum ſcriptorum præcepta. Hæc vero, ne agreſtia nimis tibi videantur, quæſtionibus quibusdam non injucundis interpolabimus: Tu vero ipſo rerum uſu & novæ phyſicæ experimentis perpolies. URB.

> His me conſolor: victurus ſuavius, ac ſi
> Quæſtor avus, pater atque meus, patruusque fuiſſet.
>
> *Horat. L. I. Sat. 4.*

Digitized by Google

DIALOGUS VI.
DE COGNITIONE FUNDI.

ARGUMENTUM.

I. *De lectione, imitatione & experientia in re ruſtica.*
II. *De præſentia domini.*
III. *De officiis domini.*
IV. *De opera aſſidue adhibenda.*
V. *De triplici forma naturali fundi, campeſtri, collina & montana.*
VI. *De forma fundi artificioſa.*
VII. *De modo fundi.*

Euras. Multo mane ades, Urbane, quo ruſtici, non urbani homines domo exire ſolent. Urb. Non mirum, qui me illorum inſtitutioni tradere decrevi, ita ut hujus rei cupido etiam ademerit ſomnum, cum conſtanter mihi viderer te ex Romanis illis ſcriptoribus audire diſſerentem. Philom. Vide, ne, dum ſomniando laboras, etiam laborando ſomnies. Urb. Erectus ero. Euras. Immo lento pede inſiſtamus, &, ne tempus moleſte & prodige teratur, prævia agricolationis principia præmittamus: poſt quæ pedetentim, velut medici quosdam faſtidientes ægros, ad levia opera & exercitia te ducam. Urb. Primo quidem me non ad ligonem, aut ſtyvam, ſed ad Catonem & Varronem condemnabis. Euras. Bene divinaſti: hos igitur veteres de re ruſtica ſcriptores, priusquam cum agricolatione contrahas, advocato in conſilium! nec tamen ſic mente diſpoſitus, velut ſummam totius rei ſententiis eorum conſecutus; quippe ejusmodi ſcriptorum monumenta magis inſtruunt, quam faciunt artificem. *Col. L. I. c.* I. Urb. Multi profecto hos auctores legunt, parum tamen in ipſa ſcientia proficiunt. Quid ergo ſtudioſe etiam legentes

I. *De lectione, imitatione & experientia in re ruſtica.*

legentes perficit. Euras. Uſus & experientia dominantur in artibus; nam ubi quid perperam adminiſtratum ceſſerit improſpere, vitatur, quod fefellerat illuminatque rectam viam docentis magiſterium. Quare noſtra præcepta non conſummare ſcientiam, ſed adjuvare promittunt. Nec ſtatim quisquam compos agricolationis erit his perlectis rationibus, niſi & obire eas voluerit & per facultates potuerit. Ideoque hæc velut adminicula ſtudioſis promittimus, non profutura per ſe ſola, ſed cum aliis. *Col. l. l.* Urb. Voluntas igitur, ut velit, ac facultas ut poſſit ejusmodi rationes tenere a Columella requiritur. Euras. Prudentia etiam, ut bene impendat; quæ ipſe uberius his verbis explicat: qui ſtudium agricolationi dederit, antiquiſſima ſciat hæc ſibi advocanda: prudentiam rei, facultatem impendendi, voluntatem agendi; nam is demum cultiſſimum rus habebit, qui & colere ſciet & poterit, & volet. Neque enim ſcire, aut velle cuiquam ſatis fuerit ſine ſumptibus, quos exigunt opera: nec rurſus faciendi, aut impendendi voluntas profuerit ſine arte, quia caput eſt in omni negotio, noſſe quid agendum ſit, maximeque in agricultura, in qua voluntas facultasque citra ſcientiam ſæpe magnam dominis afferunt jacturam, cum imprudenter facta opera fruſtrantur impenſas. *Col. l. l.* Urb. Voluntati, quam habeo, facultates, quas poſſum, adjungam: ſed artem, qua ratione conſequar, nondum perſpectam habeo. Euras. Bivium nobis ad culturam dedit natura, Varronis verba ſunt *L. I. c.* 18. experientiam & imitationem: antiquiſſimi agricolæ tentando pleraque conſtituerunt, liberi eorum magnam partem imitando. Nos utrumque facere debemus & imitari alios & aliter ut faciamus experientia tentare quædam, ſequentes non aleam, ſed rationem aliquam. Urb. Et quos imitari jubes? Euras. Diligens paterfamilias, cui cordi eſt ex agri

K 2 cultu

cultu certam ſequi rationem rei familiaris augendæ, maxime curabit, ut ætatis ſuæ prudentiſſimos agricolas de quaque re conſulat & commentarios antiquorum ſedulo ſcrutetur atque æſtimet, quid eorum quisque ſenſerit, quid præceperit? an univerſa, quæ majores prodiderunt, hujus temporis culturæ reſpondeant? an aliqua diſſonent? *Col. L. I. præf.* Propterea Plinius *L. XVIII. S. 7.* monet, peritiam villicorum in cura habendam eſſe. Urb. Quos igitur villicos conſulam? Euras. Varro *L. I. c.* 19. priores fundi poſſeſſores & vicinos cæteris præfert, dum ſumus novicii, inquiens, triplici regula agendum nobis: ſuperioris domini inſtituto & vicinorum & experientia quadam. Urb. Dabo & huic rei operam: cætera labore alieno facturus. Euras. Ac ne iſta quidem præſidia, Columella *L. I. c.* 1. monet, nec aſſiduus labor & experientia villici, nec facultates & voluntas impendendi tantum pollet, quantum vel una præſentia domini; quæ niſi frequens operibus intervenerit, ut in exercitu cum abeſt imperator, cuncta ceſſant officia. Ideo maxime reor, inquit, hoc ſignificantem Pœnum Magonem ſuorum ſcriptorum primordium talibus auſpicatum ſententiis: qui agrum parabit, domum vendat, ne malit urbanum, quam ruſticum larem colere. Cui magis videlicet cordi fuerit urbanum domicilium, is exiguos ex prædio ruſticos capiet fructus: aut ſi hos expectat, prius illud vendat. Quod ego præceptum, Columella adjungit, ſi poſſet his temporibus obſervari, non immutarem. Magonem iſthæc inclementer atque non ex utilitate publica ſcripſiſſe Plinii *l. l.* opinio eſt: excuſat tamen duriora præcipientem, ut appareat aſſiduitatem deſideratam ab eo. Urb. Nulla igitur, aut certe remotiora nulla ab illis comparanda prædia, quos fori negotia frequenter in urbe ligant? Euras. Rem tenes ex Columellæ ſententia: nunc quoniam plerosque noſtrum,

II. *De præſentia domini.*

noſtrum, inquit, civilis ambitio ſæpe evocat, ac ſæpius detinet evocatos, ſequitur, ut ſuburbanum prædium commodiſſimum eſſe putem, quo ut occupato quotidianus excurſus facile poſt negotia fori contingat. Cenſeo igitur, idem *L. I. c.* 2. ſcribit, in propinquo agrum mercari, quo & frequenter dominus veniat & frequentius ſe venturum, quam ſit venturus denunciet: ſub hoc enim metu cum familia villicus erit in officio. Urb. Meum igitur prædium maxime opportunum, quo & excurrere, & remeare fere eadem hora poſſum. Sed quid de remotioribus? Euras. Qui longinqua rura mercantur, vivi cedunt ſervis ſuis: quoniam quidem & illi tam longa dominorum diſtantia corrumpuntur & corrupti poſt flagitia, quæ commiſerunt, ſub expectatione ſucceſſorum, rapinis magis quam culturæ ſtudent. *Col. L. I. c.* 1. Urb. Id ipſum peſſimo exemplo didici, cum raro aut nunquam mea rura inviſiſſem. Euras. Ignorabas nempe, quo Cato fertur fuiſſe uſus, præceptum: mercaturis agrum eſſe reviſendum ſæpius eum, quem velint mercari; nam prima inſpectione neque vitia, neque virtutes abditas oſtendit, quæ mox retractantibus facilius apparent. *Col. L. I. c.* 4. Prædium cum parare cogitabis, monet laudatus Cato *c.* 1. ſic in animo habeto, uti ne cupide emas, neve operæ tuæ parcas viſere, & ne ſatis habeas ſemel circumire. Quoties ibis, toties magis placebit, quod bonum erit. Et *c.* 4. ſcribit: ruri ſi recte habitaveris, libentius & ſæpius venies, fundus melior erit, minus peccabitur, fructi plus capies: frons occipitio prior eſt. Columella igitur *L. IV. c.* 18. oculos & veſtigia domini res agro ſaluberrimas recte vocat. Et *L. III. c.* 21. illud Virgilii Georg. II. aſſumens:

Et quocunque deus circum caput egit honeſtum, adjungit: verum quocunque domini præſentis oculi frequen-

 ter

ter acceſſere, in ea parte majorem in modum fructus exuberat. Ideo majores fertiliſſimum in agro oculum domini dixere. *Plin. L. XVIII. S.* 8. Et Palladius *L. I. T.*6. præſentia domini, ſcribit, provectus eſt agri. Perſa quoque ille apud Xenophontem *in œconom.* interrogatus, quæ res potiſſimum ſaginaret equum? reſpondit: oculus domini. Urb. Ipſus igitur operi manum adjiciam? aut quid agam iners, aut certe laboris parum gnarus? Euras. Igitur quidquid dabitur occaſionis, ruri moretur dominus; quæ non ſit mora ſegnis, nec umbratilis; nam diligentem patremfamilias decet agri ſui particulas omnes & omni tempore anni frequentius circumire, quo prudentius naturam ſoli, ſive in fructibus & herbis, ſive jam maturis frugibus contempletur: nec ignoret, quid quid in eo recti fieri poterit; nam illud vetus eſt, & Catonis: agrum peſſime multari, cujus dominus, quid in eo faciendum ſit, non docet, ſed audit villicum. *Col. L. I. c.* 2. Paterfamilias ubi ad villam venit, ſcribit Cato, fundum eodem die, ſi poteſt, circumeat: ſi non eo die, at poſtridie. Ubi cognovit, quomodo fundus cultus ſiet operaque, quæ facta infectaque ſient, poſtridie ejus diei villicum vocet, roget quid operis ſiet factum, quid reſtet, ſatiſne tempori opera ſient confecta, poſſitne, quæ reliqua ſient, conficere? *Cat. c.*2. Urb. Hæc quidem cum ſerenum eſt cœlum. Euras. Cum tempeſtates pluviæ fuerint, videto, quot dies, quæve opera per imbrem fieri potuerint, villam purgari, frumenta transferri, ſtercus foras efferri, ſterquilinium fieri, ſemen purgari, foſſas veteres tergeri, viam publicam muniri, vepres recidi, hortum fodiri, pratum purgari, virgas vinciri, ſpinas runcari, expinſi far, mundicias fieri - - - rationes putare, argentariam, frumentariam, quid venierit, quid exactum ſit - - ſi quid deſit in annum, uti paretur, quæ ſuperſint, uti veneant: pecus

III. *De officio Domini.*

pecus conſideret, auctionem uti faciat: vendat frumentum, boves vetulos, armenta delicula (reicula) &c. *Cat. l. l.* Urb. Superi! plura incumbunt domino, quam famulis. Euras. Dubitas etiam? Quid vero Philomuſus ſecum? Philom. Feſtivam illam Phædri L. II. 8. fabulam de cervo, qui ſe bubili condidit, cui ex bobus unus:

- - - - - ſalvum te cupimus quidem:
Sed ille, qui oculos centum habet, ſi venerit,
Magno in periclo vita (verſatur) vertetur tua.
Hæc inter ipſe dominus a cœna redit:
Et quia corruptos viderat nuper boves,
Accedit ad præſepe: cur frondis parum eſt?
Stramenta deſunt? tollere hæc aranea
Quanti eſt laboris? dum ſcrutatur ſingula
Cervi quoque alta eſt conſpicatus cornua:
Quem convocata jubet occidi familia,
Prædamque tollit. Hæc ſignificat fabula:
Dominum videre plurimum in rebus ſuis.

IV. *De opera aſſidue adhibenda.*

Urb. Credamne tantum operæ adhibendum rei ruſticæ, cujus fructus naturæ potius, quam artis & laboris emolumenta ſunt? Euras. Hoc ipſum Plinius *L. XXIII. S.* 1. Pomonam inter & Tellurem diſcrimen poſuit: quod hæc omnia per laborem, illa pleraque ſuapte natura largiatur: & Cato cæteris præceptis velut princeps præmiſit: in re ruſtica operæ ne parcas. *Plin. L. XVIII. S.* 6. Cogitato, ſi nihil fiet, nihilominus ſumptum futurum. *Cat. c.* 39. Sive enim operi labore inſiſtant, ſive otio torpeſcant famuli, iidem ſemper ſunt ſumptus, minime proventus iidem. Atque ideo opera omnia mature conficias, monet Cato, face: nam res ruſtica ſic eſt, ſi unam rem ſero feceris, omnia opera ſero facies. *Cat. c.* 5. Unum enim ac ſolum dominatur in ruſticatione,

quid

quid quid exigit ratio culturæ, ſemel facere: quippe cum emendatur vel imprudentia, vel negligentia, jam res ipſa decoxit, nec in tantum poſtmodum exuberat, ut & ſe amiſſam reſtituat, & quœſtum temporum præteritorum reſarciat. *Col. L. I. c.* 8. Nam etſi multum prodeſt ſcientia, plus tamen obeſt imprudentia, vel negligentia, maxime in ruſticatione, cujus diſciplinæ caput ſemel eſt feciſſe, quid quid exegerit ratio culturæ - - Prælabentis autem temporis fuga quam ſit irreparabilis, quis dubitet? Ejus igitur memor, præcipue ſemper caveat, ne improvidus ab opere vincatur. Res eſt agreſtis inſidioſiſſima cunctanti. *Colum. L. XI. c.* 1. Hæc cum Columella ſcripſiſſet, & illum ex Heſiodo verſum attuliſſet (cujus ſenſus eſt: ſemper autem dilator operis vir cum detrimentis luctatur) proſequitur: quare vulgare illud de arborum poſitione ruſticis uſurpatum: ſerere ne dubites, id villicus ad agri totum cultum referri judicet credatque, prætermiſſas non duodecim horas, ſed annum periiſſe, niſi ſua quaque die, quod inſtat, effecerit; nam cum propriis pene momentis fieri quidque debeat: ſi unum opus tardius, quam oporteat, peractum ſit, cæteræ quoque, quæ ſequuntur, culturæ poſt juſta tempora ſerius adhibentur, omnisque turbatus operis ordo ſpem totius anni fruſtratur. *Idem l. l.* Atque inde nihil eſt fœdius agricolis, quam geſtæ rei pœnitentia. *Plin. L. XVII. S.* 19. adeoque nihil ſero faciendum in agricultura omnes cenſent, iterumque ſuo quæque tempore facienda. Ex tertio præcepto: prætermiſſa fruſtra revocari. *Idem L. XVIII. S.*8. Urb. De hac philoſophia amo te plurimum, videns magnam ex negligenti opera non ſolum temporis, ſed & rerum imminere jacturam. Euras. Jam propius ad cognitionem fundi accedamus. Urb. Optime, nam & prædium noſtrum jam ingredimur. Euras. Non prædium,

dium, ſed parvum quoddam regnum hic habes, Urbane. Quæ enim jucunda variantis naturæ forma, quæ amplitudo, quæ ſitus amœnitas, quam apte omnia in unius ſepis tutela diſpoſita! Urb. Non ego urbanam hanc laudem, ſed ut, quæ ſit fundi forma, ediſſeras, expecto. Euras. Formæ cum duo genera ſint, una, quam natura dat, altera, quam ſationes imponunt: prior quod alius ager bene natus, alius male: poſterior, quod alius fundus bene conſtitutus ſit, alius male. *Varr. L. I. c.* 6. hinc aliam natura vario fundi ſitu, conditione & habitu, aliam ars & induſtria humana bona malave cultura tribuit; hinc illa naturalis, hæc artificioſa compellatur. Dicam prius de naturali. Igitur cum tria genera ſint a ſpecie ſimplici agrorum, campeſtre, collinum, & montanum, eſt ex his tribus quartum, ut in eo fundo, in quo hæc duo vel tria ſunt, ut multis locis licet videri. *Varr. l. l.* campum, non æquiſſima ſitum planicie, nec perlibrata, ſed exigue prona: collem, clementer & molliter aſſurgentem: montem, non ſublimen & aſperum, ſed nemoroſum & herbidum calidiſſimi ruſticarum rerum maxime probaverunt. His autem generibus ſingulis ſenæ ſpecies contribuuntur: ſoli pinguis, vel macri: ſoluti, & ſpiſſi: humidi, & ſicci: quæ qualitates inter ſe miſtæ vicibus, vel alternatæ plurimas efficiunt agrorum varietates: eas enumerare non eſt artificis agricolæ. *Col. L. II. c.* 2. Urb. Vides in meo prædio hic quidem agrum campeſtrem, illic collinum modeſte aſſurgentem, iſtic montana loca, ſupra quæ alpes & horrida juga: demum & quartam ſpeciem ex illis tribus compoſitam: ſed quid interſit, non intelligo. Euras. Ex Varrone diſces: e quibus tribus faſtigiis ſimplicibus ſine dubio infimis, inquit iſte, alia cultura aptior, quam ſummis, quod hæc calidiora quam ſumma: ſic collinis, quod ea tepidiora quam infima, aut ſumma.

V. *De triplici forma naturali fundi, campeſtri, collina & montana.*

Hæc apparent magis ita eſſe in latioribus regionibus, ſimplicia cum ſunt. Itaque ubi lati campi, ibi magis æſtus, & eo in Apulia loca calidiora, ac graviora. Et ubi montana - - - quod leviora, & ideo ſalubriora. Qui colunt deorſum, magis æſtate laborant: qui ſurſum magis hieme: verno tempore in campeſtribus maturius eadem illa feruntur, quam in ſuperioribus; & celerius hic, quam illic coguntur: nec non ſurſum, quam deorſum tardius feruntur ac metuntur. Quædam in montanis prolixiora naſcuntur ac firmiora propter frigus, ut abietes, ac ſappini. Hic, quod tepidiora, populi ac ſalices: ſurſum fertiliora, ut arbutus, ac quercus: deorſum, ut nuces Græcæ, ac mariſcæ fici. In collibus humilibus ſocietas major cum campeſtri fructu, quam cum montano: in altis contra. Propter hæc tria faſtigia formæ diſcrimina quædam fiunt ſationum, quod ſegetes meliores exiſtimentur eſſe campeſtres, vineæ collinæ, ſilvæ montanæ: plerumque hiberna iis eſſe meliora, qui colunt campeſtria, quod tunc prata ibi herboſa, putatio arborum ibi tolerabilior. Contra æſtiva montanis locis commodiora, quod ibi tum & pabulum multum, quod in campis aret: ac cultura arborum aptior, quod tum illic frigidior aer - - - Hæc atque hujuſcemodi tria faſtigia agri ad colendum diſpariliter habent momentum. *Varr. L. I. c.* 6. Quapropter vel a majoribus traditum, poſſidenti, vel empturo fundum præcipua cura ſit ſcire, quod maxime regionis genus probetur, ut vel careat inutili, vel mercetur laudabilem. Quod ſi voto fortuna ſubſcripſerit, agrum habebimus ſalubri cœlo, uberi gleba, parte campeſtri, parte alia collibus vel ad orientem, vel ad meridiem molliter devexis, terreniſque aliis cultis, atque aliis ſilveſtribus & aſperis - - - Campus in prata & arva ſalictaque & arundineta digeſtus ædificio ſubjaceat. Colles alii

vacui

vacui arboribus, ut ſolis ſegetibus ſerviant, quæ tamen modice ſiccis ac pinguibus campis melius, quam præcipitibus locis proveniunt. Ideoque etiam celſiores agri frumentarii planicies habere & quam molliſſime devexi, ac ſimillimi debent eſſe campeſtri poſitioni. *Col. L. I. c.* 2. Urb. Qua ratione meliores illi, qui paulum devexi, ac qui ad libellam plani ſunt campi? Euras. Campeſter locus ille melior, qui totus æquabiliter in unam partem vergit, quod is, cum aquæ non habent delapſum, fieri ſolet uliginoſus: eo magis, ſi eſt inæqualis, eo deterior, quod fit propter lacunas aquoſus. *Varr. l. l.* Urb. Hæc igitur diverſa fundi forma ipſius etiam ſoli diverſam inducit conditionem, ut aliud pingue, vel macrum, aliud ſolutum, vel ſpiſſum, aliud humidum, vel ſiccum, atque adeo etiam miram pro diverſa frugum natura perficit varietatem. In moderate ſiccis & pinguibus, molliter deflexis humilioribus collibus melior proventus ſegetum, ac in montanis, ac præcipitibus locis: adeoque locus campeſter in unam partem æquabiliter vergens magis commendatur, quam æquata planicies: & collis modeſte turgeſcens tam ſegetes habet lætiores, quam vineas. Euras. Gaudeo vehementer, quod jam ruſticari incipias. Atque ex his ſequitur ſecundum illud, ſcribit Varro, quali terra ſolum ſit fundi, a qua parte vel maxime bonus, aut non bonus appelletur: refert enim quæ res in eo ſeri naſcique & cujusmodi poſſint. Non enim eadem omnia in eodem agro recte poſſunt; nam ut alius eſt ad vitem appoſitus, alius ad frumentum, ſic de cæteris alius ad aliam rem. *Varr. L. I. c.* 7. Viden' quam multa tuo huic prædio conveniant? Urb. Forma, quam non naturæ beneficio, ſed hominum induſtriæ debemus, ad voluptatem faciet, non ad utilitatem. Euras. Immo magis ad hanc, quam ad illam. De formæ cultura hoc

VI. *De forma fundi artificioſa.*

dico, verba Varronis ſunt, quæ ſpecie ſiant venuſtiora, ſequi, ut majore quoque fructu ſint: ut qui habent arbuſta, ſi ſata ſunt in quincuncem, propter ordines atque intervalla modica. Itaque majores noſtri ex arvo æque magno, ſed male conſito & minus multum & minus bonum faciebant vinum & frumentum, quod quæ, ſuo quidque loco, ſunt poſita, ea minus loci occupant & minus officit aliud alii a Sole ac Luna & vento: Hoc licet conjectura videre ex aliquot rebus, ut nuces integras, quas uno modio comprehendere poſſis, quod putamina ſuo loco quæque habet natura compoſita, cum easdem, ſi fregeris, vix ſeſquimodio concipere poſſis. Præterea quæ arbores in ordinem ſatæ ſunt, eas æquabiliter ex omnibus partibus Sol ac Luna coquunt: quo ſit ut uvæ & oleæ plures naſcantur & ut celerius coquantur; quas res duas ſequuntur altera illa duo, ut plus reddant muſti & olei & pretii pluris. *Varr. L. I. c. 7.* Urb. Certiſſimum eſſe video, quod cum ſuo quodque loco poſitum, minorem locum occupet, vites quoque & arbores per ordinem poſitas æqualiter Solis, Lunæ, pluviæ ac ventorum beneficio frui, fructus celerius coqui ac reddi uberiores; ut adeo nobis etiam magis proficuus bene cultus agellus, quam ampliſſimus fundus neglectus. Omnes igitur ſumptus in culturam conjiciam. Euras. Ne quid nimis, Urbane! manu ferendum, non thylaco: nihil enim minus expedit, quam agrum optime colere. *Plin. L. XVII. S. 7.* L. Tarius Rufus millies centena ſeſtertium millia coemendis colendisque agris impendit, atque rem omnem cultura optima ita peſſime decoxit, ut eo mortuo nemo ſe pro hærede geſſerit. Propterea Plinius *l. l.* modum judicem rerum omnium utiliſſimum, & bene colere neceſſarium, optime colere damnoſum eſſe dixit. Et Cato *c. 1.* ſcito idem agrum quod hominem, quamvis quæſtuoſus ſit, ſi ſumptuoſus erit, relinqui

non

non multum. URB. Idem Plinius *l. l.* nihil damnoſius eſſe aſſerit deſerto agro: quid ergo damnat agrum optime colere? EURAS. Bene igitur colam, ne deſertus jaceat: non vero optime, ſeu maximis ſumptibus, ne ipſus fame peream. Hinc Catonis oraculo obſequaris velim, qui interrogatus, quid eſt primum? reſpondit: bene colere. Quid ſecundum? bene arare. Quid tertium? ſtercorare. *Cat. c.* 61. & *Plin. L. XVIII. S.* 49. Sed tui hi agri devaſtatæ areæ præbent ſpeciem, ac ſi ab Evandri temporibus nec aratrum, nec lætamen ſenſiſſent. VII.
O! ſi ſaltem partem illorum melius exoluiſſet; nam, ut ſcribit *De modo* Palladius, fæcundior eſt culta exiguitas, quam magnitudo ne- *fundi.* glecta - - Modum tene æſtimatis facultatibus tuis in aſſumptione culturæ, ne ſuperatis viribus, excedente menſura, turpiter deferas, quod arroganter aſſumis. *Pallad. L. I. T.* 6. Hinc Columella, quod unus de ſeptem ſapientibus in perpetuum poſteritati pronunciavit, adhibendum modum menſuramque rebus, non ſolum aliud acturis, ſed & agrum paraturis dictum cupit intelligi, ne majorem, quam ratio calculorum patiatur, emere velit; quam in rem laudat illa Virgilii verba:

- - - - - laudato ingentia rura,
Exiguum colito

cum & acutiſſima gens Pœnorum dixerit: imbecilliorem agrum quam agricolam eſſe debere; quoniam cum ſit colluctandum cum eo, ſi fundus prævaleat, allidi dominum; nec dubium, quin minus reddat laxus ager non recte cultus, quam anguſtus eximie. Nec dubitat aſſerere, ſeptena illa jugera poſt exactos reges viritim diviſa majores quœſtus antiquis retuliſſe, quam nunc præbeant ampliſſima vervacta. Velut etiam Curius Dentatus, deferente ſibi poſt inſignem victoriam populo, quinquaginta ſoli jugera repudiato eo munere plebeja menſura

contentus fuit. *Col. L. I. c.* 3. perniciofum intelligi civem, dicens, cui ſeptem jugera non eſſent ſatis; cum etiam dona ampliſſima imperatorum, ac fortium civium fuerint, quantum quis uno die plurimum circumaraviſſet. Et hinc modum agri inprimis ſervandum antiqui putavere; quippe ita cenſebant, ſatius eſſe minus ſerere & melius arare: latifundia perdidiſſe Italiam & provincias. *Plin. L. XVIII. S.* 4. *& ſeq.* Et quamvis propulſis hoſtibus agri & imperii fines proferrentur, criminoſum tamen ſenatori fuit ultra quinquaginta (quingenta in *Varr. L. I. c.* 2. *Liv. L. VII. c.* 10. *Plin. l. l. Val. Maxim. L. VIII. c.* 6. leguntur) jugera poſſediſſe, ſuaque lege C. Licinius damnatus eſt, quod mille jugerum agri cum filio poſſideret, emancipandoque filium fraudem legi feciſſet. *Liv. l. l.* Modus ergo, qui in omnibus rebus, ut bene Columella *l. l.* concludit, etiam parandis agris adhibebitur; tantum enim obtinendum eſt, quanto eſt opus, ut emiſſe videamur, quo potiremur, non quo oneraremur ipſi atque aliis fruendum eriperemus, more præpotentium, qui poſſident fines gentium, quos nec circumire equis quidem valent - - - Modus autem erit ſua cuique moderata voluntas facultasque; neque enim ſatis eſt, poſſidere velle, ſi colere non poſſis. Urb. Fruſtra de modo fundi diſſeris, qui & noſtram & antiquam menſuræ rationem neſcio. Euras. Jugum vocant, quod juncti boves uno die exarare poſſint: verſum dicunt centum pedes quoquoverſum quadratum: jugerum quod quadratos duos actus habet: actus quadratus qui & latus eſt pedes CXX. & longus totidem. *Varr. L. I. c.* 10. Et Plinius *l. l.* actus in quo boves agerentur cum aratro uno impetu juſto: hic erat CXX. pedum duplicatusque in longitudinem jugerum faciebat. Ergo duo actus, infert Columella *L. V. c.* 1. jugerum efficiunt longitudine pedum CCXL. latitudine pedum

CXX.

CXX. Noſtris hujus provinciæ moribus jugerum vocamus, quod tres equi uno die exarare poſſunt. Atque adeo non ſatis certa aut æqualis hæc eſt dimenſio. Juſta tamen cenſetur eſſe, ſi ager ſit in CC. paſſus minores, ſeu circiter CCCXXXIII. pedes in longitudine & XXXVI. paſſus ſeu LX. pedes in latitudine porrectus, ſeu quoquoverſum quadratum CXVIII. paſſus, ſeu CLXXXXVI [illegible] pedes numeret.

DIALOGUS VII.

DE VARIA FUNDI, BONÆ MALÆVE TERRÆ NATURA.

ARGUMENTUM.

I. *Varia fundi, terræque natura.*

II. *Quæ præſtabilior?*

III. *Eſt æque fructuum diverſa natura, nec omnia terræ tribuenda.*

IV. *Quæ ſit terra carioſa.*

V. *Quæ dulcis & amara.*

VI. *Quomodo dignoſcatur.*

VII. *De aliis ſignis bonæ terræ.*

VIII. *Quæ ſit terra tenera.*

IX. *De ſapore terræ.*

X. *Quæ terra optima.*

Euras. Explorata fundi dimenſione, quam per tuos ſuſcipies, ejus quoque natura & conditio indaganda eſt, quali terra, ut Varro loquitur, ſolum ſit fundi, a qua parte vel maxime bonus, aut non bonus appelletur; refert enim, quæ res in eo ſeri, naſcique & ejusmodi poſſint: non enim eadem omnia in eodem agro recte poſſunt; nam ut alius eſt ad vitem appoſitus, alius ad frumentum, ſic de cæteris alius ad aliam rem. *Varr. L. I. c. 7.* Jam varias difficillimasque terrarum ſpecies

I. *Varia fundi, terræque natura.*

ſpecies pernoſcere, atque in his ipſis habere cognitum, quid recuſet collis, quid campeſtris poſitio, quid cultus, quid ſilveſter ager, quid humidus & graminoſus, quid ſiccus & ſpurcus, ratione quoque diſpicere, *Col. L. I. præf.* hoc opus, hic labor eſt. Terra igitur, ut Varro *L. I. c.* 9. indicat, alia lapidoſa, alia argilloſa, eaque aut magis, aut minus temperate, & ideo alia humidior, alia aridior, alia pinguior, alia macrior, alia calidior, alia frigidior, alia denſior, alia rarior, alia gravior, alia levior (nec enim vacat per omnes ſpecies evagari) quæ qualitates inter ſe miſtæ plurimas efficiunt agrorum varietates. *Col. L. II. c.* 2. & *L. III. c.* 12. Urb.

II. *Quæ præſtabilior?* Ex tam varia, tam diverſa fundi natura, quæ ſit felicior, ac rebus noſtris quœſtuoſior, fac, intelligam. Euras. Præprimis dicendum eſt, Columella reſpondet, ex omnibus quæ terra progeneret, plura campo magis, quam colle, plura pingui ſolo, quam macro lætari. De ſiccaneis & riguis non comperimus, utra numero vincant, cum utique pene infinita ſint, quæ ſiccis, quæque humidis locis gaudent; ſed ex his nihil non melius reſoluta humo, quam denſa provenit. Ad confirmandam hujus rei veritatem illud Virgilii *Georg. II.* afferens:

Et cui putre ſolum: namque hoc imitamur arando,

ait: neque enim aliud eſt colere, quam reſolvere & fermentare terram; ideoque maximos quœſtus ager præbet. Idem pinguis ac putris, quia cum plurimum reddat, minimum poſcit: & quod poſtulat, exiguo labore atque impenſa conficitur. Præſtantiſſimum igitur tale ſolum jure dicatur. Proximum deinde huic pinguiter denſum, quod impenſam coloni laboremque magno fœtu remuneratur. Tertia eſt ratio loci rigui, quia ſine impenſa fructum reddere poteſt - - Nullum deterius habetur genus, quam quod eſt ſiccum pariter & denſum

ſum & macrum; quia cum difficulter tractetur, tum ne tractatum quidem gratiam refert: nec relictum pratis vel paſcuis abunde ſufficit. Quapropter ejusmodi agrum velut peſtilentem refugiendum eſſe monet, nam ſive exerceatur, ſive ceſſet, aut mortem affert, aut teterrimam mortis comitem famem, ſi Græcis Camœnis habemus fidem clamitantibus: fame miſerrima emori & fatum ſequi. *Col. L. II. c.* 2. Atque ſic magna tria diſcrimina terræ: quod refert, utrum ſit macra, an pinguis, an mediocris. Quoad culturam pinguis fæcundior ad multa, macra contra: itaque in iis - - - neque arbores prolixas, neque vites veraces, neque ſtramenta videre craſſa poſſis - - arbores plerasque ac prata retorrida & muſcoſa. Contra in agro pingui - - licet videre ſegetes fructuoſas ac reſtibiles, & arbores prolixas, & omnia ſine muſco. In mediocri autem terra - - - quo propius accedit, ut non ſit macra, quam ut ſit jejuna, eo ad omnes res commodior, quam ſi inclinavit ad illud quod deterius. *Varr. L. I. c.* 9. Urb. Qua autem ratione conſtare poteſt, quod fundi hujus natura culturæ patiens ſit & idonea? Euras. Non male inquit Varro *l. l.* ſigna ſumi poſſe aut ex ipſius terræ conditione, aut ex fructibus, quæ naſcuntur ex ea. Philom. Bene igitur monet Virgilius Georg. I.

> Ac prius ignotum ferro quam ſcindimus æquor,
> Ventos & varium cœli prædiſcere morem
> Cura ſit, ac patrios cultusque habitusque locorum,
> Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet:
> Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
> Arborei fœtus alibi.

III. *Eſt æque fructuum diverſa natura,*

Urb. Cum igitur terra pinguis maxime opima ac omnium optima ſit, illa quoque omnes nobis ubique fructus large promittet. Philom. Hoc ut fiat, vel in pinguiſſima etiam, ci-

nec omnia terræ tribuenda. tius ſcarabæus dabit mel, aut culex lac: non legiſti ſcilicet Virgilium *L. II. Georg.* canentem:

> Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt:
> Fluminibus ſalices, craſſique paludibus alni
> Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni:
> Littora myrtetis lætiſſima: denique apricos
> Bacchus amat colles, Aquilonem & frigora taxi.

Euras. Alia enim loca appoſita ſunt ad fœnum, alia ad frumentum: alia ad vinum, alia ad oleum - - - Neque enim in pingui terra omnia feruntur recte: neque in macra nihil; certius enim in tenuiore terra ea, quæ non multo indigent ſucco - - Sic alia, quæ humidum locum quærunt - - Item alia, quæ arida loca ſequuntur: ſic umbroſis locis alia feras. *Varr. L. I. c.* 23. Eadem de cauſa ſunt, quæ non poſſunt vivere niſi in loco aquoſo, aut etiam aqua, & indiſcriminatim, ut alia in lacubus, ut arundines - - - In Gallia transalpina intus ad Rhenum, cum exercitum ducerem, aliquot regiones acceſſi, ubi nec vitis, nec olea, nec poma naſcerentur. *Id. L. I. c.* 7. Plura hac de re paulo ante diximus *Dialog. VI. S.* 5. Urb. Cœli itaque ipſorumque fructuum natura, non diverſa terræ indole hanc induci varietatem dicas. Euras. Multa plagæ conditioni, plura naturæ fructuum, ſed quod hic felicius naſcantur, quam illic, plurimum terræ benignitati debemus: eo enim lætiores prodeunt, quo tellus magis ipſorum naturæ reſpondet; quod pluribus exemplis J. Græcinus apud Columellam declarat: neque enim nimium calidum ſolum poſſe tolerare vitem, quia inurat: neque prægelidum, quoniam velut ſtupentes & congelatas radices nimio frigore moveri non ſinat; neque humidum, quoniam cum ſe promunt vites, modico tepore evocant humorem terræ juſto majorem, qui putrefacit depoſita ſemina. Rurſus nimiam ſiccitatem deſtituere

tuere plantas dicit naturali alimento, aut in totum necare, aut ſcabras & retorridas facere: perdenſas humum cœleſtes aquas non ſorbere, nec facile perflari, facillime perrumpi & præbere rimas, quibus ſol ad radices ſtirpium penetret, eademque velut conclauſa & coarctata ſemina comprimere atque ſtrangulare: raram ſupra modum velut per infundibulum transmittere imbres, & ſole ac vento penitus ſiccari atque exareſcere: gravem terram vix ulla cultura vincibilem: levem vix ulla ſuſtineri: pinguiſſimam & lætiſſimam luxuria, macram ac tenuem jejunio laborare. Opus eſt, inquit, inter has tam diverſas inæqualitates magno temperamento, quod in corporibus quoque noſtris deſideratur, quorum bona valetudo calidi & frigidi, humidi & aridi, denſi & rari certo & quaſi examinato modo continetur. *Col. L. III. c.* 12. Quæ autem hic de vite, ea de omni genere fructuum dicta accipe, ita ut ſi illi regionis conditio non reſiſtat, accedente benigna terræ qualitate, ſeu quæ naturæ illius arrideat, quidve lætius creſcat, utpote cui uni, ut ait Plinius *L. II. S.* 63. rerum naturæ partium, eximia propter merita, cognomen addidimus maternæ venerationis. Urb. Ita jam ſatis mihi aperta: ſed quibus ex ſignis terræ fœcunditas dignoſci poſſit, inſcius ſum & rudis. Euras. Hac ipſa in re ſcriptores maxime colliduntur; cum alii ex tactu, alii ex colore, alii ex ſapore, alii ex aliis ſignis ejus fertilitatem metiuntur: alii nigram, alii rubram, alii cinericiam, alii argilloſam, alii ſabuloſam, alii levem & ſolutam, alii ſpiſſam & gravem præferunt. Urb. Juvat hanc pugnam intueri. Euras. Cato breviter atque ex more ſuo vitia determinat: terram carioſam caveto, ne ares, neve ploſtrum, neve pecus impellas: ſi ita non caveris, quo impuleris, triennii fructum amittes. *Cat. c.* 5. Terram cave carioſam tractes. *Id. c.* 34. Quid putamus hac appellatione tantopere

IV. *Quæ ſit terra carioſa.*

topere reformidari, quærit Plinius *L. XVII. S.* 3. ut pene veſtigiis quoque interdicat? redigamus ad ligni cariem, & inveniemus illa, quæ in tantum abominatur, vitia, aridæ, fiſtuloſæ, ſcabræ, caneſcentis, exeſæ & pumicoſæ. Plus dixit una ſignificatione, quam poſſit ulla copia ſermonis enarrari. Eſt enim interpretatione vitiorum quædam, non ætate - - - ſed natura ſua anus terra & ideo infœcunda ad omnia, atque imbecilla. URB. Unde hæc terræ caries, ſi non inſtar anus ſeneſcat? EURAS. Ruſtici apud Columellam *L. II. c.* 4. eam carioſam fieri dicunt, cum poſt longas ſiccitates levis pluvia ſuperiorem partem glebarum madefacit, inferioremque non attingit - - - Quæ ſic ſubacta ſunt arva continuo triennio ſterilitate afficiuntur. Noſtri ruſtici mortuam & infœcundam vocant, qualis vomere altius impreſſo eruitur. Sunt autem variæ diſſimillimæque terrarum ſpecies, ut obſervat Columella *L. I. præf.* quarum non nullæ colore, non nullæ qualitate fallunt. Atque in aliis regionibus nigra terra, quam pullam vocant, eſt laudabilis: in aliis pinguis rubrica melius reſpondet: quibusdam putres arenæ fœcunditate vel robuſtiſſimum ſolum vincunt: in Aſia denſa & glutinoſa terra maxime exuberat. Plurimi antiquorum, qui de rebus ruſticis ſcripſerunt, quaſi confeſſa, nec dubia ſigna pinguis ac frumentarii agri eſſe tradiderunt dulcedinem ſoli propriam, herbarum & arborum proventum, nigrum colorem & cinereum. De cæteris vero ſignis, an non fallant, Columella ambigit *L. II. c.* 2. Corn. vero Celſum admirari non deſinit, ſic ſententia & viſu deerraſſe, ut oculis ejus tot paludes, tot etiam campi ſalinarum non occurrerent, quibus fere contribuuntur prædicti colores; nullum enim temere videmus locum, qui modo pigrum contineat humorem, non eundem vel nigri, vel cinerei coloris; niſi forte in eo fallor ipſe, inquit, quod non putem

tem, aut in ſolo limoſæ paludis & uliginis amaræ, aut in maritimis areis ſalinarum gigni poſſe læta frumenta. Hoc argumento cum judicaret antiquos eſſe convictos, colorem haud eſſe certam bonitatis notam, frumentarium agrum aliis terræ qualitatibus dicit æſtimandum, præprimis dulcedine, qua ſi ſolum careat, parum eſt, etſi colore præſtare videatur. Plinius tamen *L. XVII. S.* 3. terram ſalſam præciſe ac in omnibus non rejicit, eique multa melius credi autumat, utpote tutiora a vitiis innaſcentium animalium; & *S.* 47. in terra ſalſa palmas ſeri, & vitibus lachrymoſis aquam ſalſam aſpergi, eaque lentiſcum ali ſuadet. At Columella *L. III. c.* 9. ſalſam terram maxime vitibus inimicam, eumque ſuccum radicibus ſubminiſtrandum ducit, qui nec amarus, nec ſalſus ſit, ne ſaporem vini corrumpat & incrementa virentium veluti quadum ſcabra rubigine coerceat, ſi modo credimus Virgilio dicenti:

V. *Quæ dulcis & amara.*

Salſa autem tellus & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix, ea nec manſueſcit arando:
Nec Baccho genus aut pomis ſua nomina ſervat.

Vitis vero præ cæteris omnibus ſuccum ex vicina terra provocat, eique ſimile grati aut ingrati ſaporis vinum nobis præbet. URB. Qua ratione ſaporem terræ explorare licebit? EURAS. Saporem quoque dignoſcemus, ſi ex ea parte agri, quæ maxime diſplicebit, effoſſæ glebæ & in fictili vaſe madefactæ dulci aqua permiſceantur ac more fœculenti vini diligenter colatæ guſtu explorentur; nam qualem traditum ab eis retulerit humor ſaporem, talem eſſe dicemus ejus ſoli. *Col. L. II. c.* 2. Id ipſum Columella *L. de arbor. c.* 3. perhibet: agrum antequam vineis obſeras, explorato, qualis ſaporis ſit: talem enim etiam guſtum vini præbebit. Sapor autem comprehendetur, ſi terram aqua diluas, & cum colaveris,

VI. *Quomodo dignoſcatur.*

tum demum aquam deguſtes. Aptiſſima vitibus terra eſt arenoſa, ſub qua conſiſtit dulcis humor. Citra hoc experimenta multa ſunt, ut iterum Columella *L. II. c.* 2. obſervat, quæ & dulcem terram & frumentis habilem ſignificent, ſupernaſcentium nempe herbarum fœtus, ut juncus, calamus, gramen, trifolium, ebulum, rubi, pruni ſilveſtres & alia complura, quæ etiam indagatoribus aquarum nota, non niſi dulcibus terræ venis educantur. A contrario vero terram amaram, ſive macram, ſi quis probare velit, ex animadverſione Plinii demonſtrant atræ degeneresque herbæ: frigidam autem retorride nata: item uliginoſam triſtia: rubricam oculi argillamque, operi difficillimas, quæque raſtra ac vomeres ingentibus glebis onerent. Quamquam non quod operi hoc & fructui ſit adverſum. Item e contrario cineraceam & ſabulum album; nam ſterilis denſa callo facile deprehenditur vel uno ictu cuſpidis. *Plin. l. l. S.* 3. Et cum haud raro contingat, ut ſuperficies nos fallat ac læta gramina proferat, aratro autem proſciſſa carioſam ſolummodo terram effundat, ideo Columella *L. II. c.* 2. ſtudioſe addit: nec contentos nos eſſe oportet prima ſpecie ſummi ſoli, ſed diligenter exploranda eſt inferioris materiæ qualitas, terrena nec ne ſit. Frumentis autem ſat erit, ſi æque bona ſubierit bipedanea humus: arboribus altitudo quatuor pedum abunde eſt. Hæc cum ita exploraverimus, agrum ſationibus faciundis expediemus. Virgilius L. II. Georg. laudat:

VII. *De aliis ſignis bonæ terræ.*

Quæ tenuem exhalat nebulam fumosque volucres,
Illa tibi lætis intexet vitibus ulmos.

Verum Plinius *l. l.* non eadem, inquit, arboribus convenit & frugibus plerumque: nec pulla ubique optima vitibus, aut quæ tenues exhalat nebulas. Nec rubrica a multis probatur eodem Plinio teſte: creta tamen & argilla cunctis ad vineas gene-

generibus anteponitur: ſabulum vero album multisque in locis nigrum, item rubrum, etiam pingui terræ permixtum, infœcundum eſt. Argumenta quoque judicantium ſæpe fallunt, ſcribit Plinius; non utique lætum ſolum eſt, in quo proceræ arbores nitent, præterquam illis arboribus, velut nihilominus Virgilius *l. l.* optimum frumento ſolum ſtatuit:

Optima frumentis non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere plauſtra juvencis.
Aut unde iratus ſilvam devexit arator
Et nemora evertit multos ignava per annos.

Quid enim, inquit Plinius *l. l.* abiete procerius? aut quæ vixiſſe poſſit alia in loco eodem? Nec luxurioſa pabula pinguis ſoli ſemper indicium habent: nam quid laudatius Germaniæ pabulis? & tamen ſtatim ſubeſt arena tenuiſſimo ceſpitum corio. Philom. Id tamen ipſum meliores inter notas poſuit Virgilius *l. l.*

Quæque ſuo viridi ſemper ſe gramine veſtit.

Euras. Nec ſemper aquoſa eſt terra, cui proceritas herbarum: non hercules magis, quam pinguis adhærens digitis, quod in argillis arguitur. *Plin. l. l.* Philom. Etiam iſtud ſignum laudatur a Virgilio *l. l.*

Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus: haud unquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos lenteſcit habendo.

Euras. Scio & a Columella & Palladio *L. I. T.* 5. approbari: nam perexigua conſpergitur aqua gleba manuque ſubigitur: ac ſi glutinoſa eſt & quoties leviſſimo tactu preſſa inhæreſcit & picis in morem ad digitos lenteſcit habendo - - - eademque illiſa humo non diſſipatur, ea res admonet nos, ineſſe tali materiæ naturalem ſuccum & pinguedinem. *Col. L. II. c.* 2.

Hi

Hi ipſi dignoſcendæ pinguedinis terræ tradunt & hanc regulam: ſcrobe effoſſa & iterum repleta, ſi cum aliquo quaſi fermento abundaverit, pinguis eſt terra: cum defuerit, exilis: cum convenerit æquata, mediocris. *Col. l. l.* PHILOM. Id ipſum experimentum ligato ſermone Virgilius nobis reliquit:

Nunc quocunque modo poſſis cognoſcere, dicam,
Rara ſit, an ſupra morem ſi denſa, requiras:
Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho,
Denſa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo.
Ante locum capies oculis, alteque jubebis
In ſolido puteum demitti, omnemque repones
Rurſus humum & pedibus ſummas æquabis arenas.
Si deerunt, rarum pecorique & vitibus almis
Aptius uber erit: ſin in ſua poſſe negabunt
Ire loca & ſcrobibus ſuperabit terga repletis,
Spiſſus ager, glebas cunctantes craſſaque terga
Expecta & validis terram proſcinde juvencis.

EURAS. Huic tamen experimento tam magnam fidem haud videtur habere Plinius, ut denſa atque rara ad hunc modum deprehendi poſſit. Nec gravis aut levior juſto deprehenditur pondere, ultra inquit; quod enim pondus terræ juſtum intelligi poteſt? quibus verbis Virgilium notat canentem:

Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit,
Quæque levis.

VIII. *Quæ ſit terra tenera.*

URB. Parum adhuc in hac ſcriptorum pugna, quæ terra dicenda ſit optima, intelligo. EURAS. Catonis c. 151. monitum eſt: per ver ſerito in loco, ubi terra tenerrima erit, quam pullam vocant. Quem locum Plinius *l. l.* in hæc verba explicat: erit igitur optima & operi & ſatis. Intelligere modo libeat dictam mira ſignificatione teneram & quidquid optari

optari debet, in eo vocabulo invenietur. Illa temperatæ ubertatis, illa mollis facilisque culturæ, nec madida, nec ſitiens: illa poſt vomerem niteſcens, qualem fons ingeniorum Homerus in armis a deo cælatam dixit, addiditque miraculum nigreſcentis, quamvis fieret in auro: illa quam recentem exquirunt improbæ alites vomerem comitantes, corvique aratoris veſtigia ipſa rodentes. Urb. Nigram igitur, ſed juxta mollem ac reſolutam dicis. Euras. Ne tamen ſapori nihil videatur deferre Plinius, hunc ex Cicerone locum adjungit: meliora unguenta ſunt, quæ terram, quam quæ crocum ſapiunt. Quæ ne obſcura videantur, addit: hoc enim maluit dixiſſe, quam redolent. Ita eſt profecto, illa erit optima, quæ unguenta ſapiat. Quodſi admonendi ſumus, qualis ſit terræ odor ille, qui quæritur, contingit ſæpe etiam quieſcente ea ſub occaſum ſolis, in quo loco arcus cœleſtis dejecerit capita ſua, & cum a ſiccitate continua immaduit imbre, tunc emittit illum ſuum halitum divinum ex ſole conceptum, cui comparari ſuavitas nulla poſſit. Is eſſe odor in commoda debebit, repertusque neminem fallet ac de terra odor optime judicabit. Talis fere eſt in novalibus cæſa vetere ſilva, quæ conſenſu laudatur. *Plin. l. l.* Palladius denique in hæc verba mentem ſuam aperuit: in terris quærenda fœcunditas: ne alba & nuda ſit gleba: nec macer ſabulo ſine admiſtione terreni: nec creta ſola, ne arenæ ſqualentes, ne jejuna glarea, ne auroſi pulveris lapidoſa macies, ne ſalſa, vel amara, ne uliginoſa terra, ne toſus arenoſus atque jejunus, ne vallis nimis opaca & ſolida (ſqualida) ſed gleba putris & fere nigra & ad tegendam ſe graminis ſui crate ſufficiens, aut miſti coloris, quæ etſi rara ſit, tamen pinguis ſoli adjunctione glutinetur. Quæ protulerit, nec ſcabra ſint, nec retorrida, nec ſucci naturalis egentia. Ferat, quod frumentis dandis utile

IX. *De ſapore terræ.*

X. *Quæ terra optima.*

ſignum eſt, ebulum, juncum, calamum, gramen, trifolium non macrum, rubos pingues, pruna ſilveſtria. Color tamen non magnopere quærendus eſt, ſed pinguedo atque dulcedo - - Sed cum ſint genera terrarum plurima, ut pinguis & macra, ſpiſſa vel rara, ſicca vel humida, & ex his pleraque vitioſa, tamen propter ſeminum differentiam ſæpe neceſſaria maxime: eligendus eſt pinguis ac reſolutus ager, qui minimum laborem poſcit & fructum maximum reddit. Secundi meriti eſt ſpiſſus, qui labore quidem maximo, tamen ad vota reſpondet. Illud vero deterrimum genus eſt, quod erit ſiccum ſimul & ſpiſſum & macrum vel frigidum, qui ager peſtiferi more fugiendus eſt. *Pallad. L. I. T.* 5. Urb. Nigram igitur, quæ ſua natura, non ex uligine talis ſit, facilem, levem, mollem, friabilem, reſolutam, ac ut omnia dicam, teneram, & quæ imbres in ſinum recipiat, nec cænoſa fiat, præſtantiorem, ac fere omnibus frugibus gratiorem video: argilloſa enim plerumque parum fœcunditatis habet: ſabuloſa ſegetes adurit & gramina: uliginoſa putres & inertes reddit: rubrica haud raro velut caries abſumit, licet quandoque minus inimica. Euras. Uſus nempe & experientia dominatur in hac ſoli molitione: & omnium rerum ſunt quædam in alto ſecreta, ut ait Plinius *l. l.* ſuo cuique corde pervidenda.

DIALO-

DIALOGUS VIII.
DE COELI SALUBRITATE.

ARGUMENTUM.

I. *Commendatur provinciæ noſtræ ſalubritas a temperata cœli plaga &*

II. *Fructuum ubertate.*

III. *Fundi ſalubritas præ cæteris æſtimatur, tum*

IV. *A ſitu villæ, tum*

V. *Ab aeris acceſſu ſalubris, tum*

VI. *Ex hominum pecorumque nec non etiam fructuum ſpecie.*

Urban. Quid rei ridens occurris nobis hodie feſtivior, Euraſi? Euras. A jucundiſſima diſceptatione tibi adſum, Urbane, inter philoſophos juvenes concitata, quæ regio naturæ ſitu cœlique temperie in Europa ſaluberrima. Urb. Quæ tulit palmam? Euras. Quorumdam opinione Gallia. Urb. Eſt adoleſcentibus peſtilens, & calamitoſa parentibus, cæterum pulcherrima. Euras. Arridebat aliis Italia, aliis Germania. Urb. Et quæ tibi? Euras. Vos, qui multas perambulaſtis terras, ecquam cultiorem Italia vidiſtis? Ego vero - - nullam arbitror eſſe, quæ tam tota ſit culta. *Varr. L. I. c.* 2. Urb. Certiſſimo: ſed æſtas eſt præfervida, ac nimiis caloribus torrida; hinc noſtram provinciam paulo ſalubriorem duco. Euras. Eſt enim Germaniam inter & Italiam, magnos inter algores & calores velut media: ſine dubio, ſcribit Varro *l. l.* quoniam ſalubrior pars ſeptemtrionalis eſt, quam meridiana: & quæ ſalubriora, illa fructuoſiora. Urb. Hac autem ratione interior Germania, quæ ad Septemtrionem vergit, multo erit felicior. Euras. Hæc temperatior pars eſt, quam interior: nam intenus pene ſempiternæ hiemes - - Em! ibi tu quicquam naſci putas poſſe, aut coli

I. Comendatur provinciæ noſtræ ſalubritas a temperata cœli plaga

 natum?

natum? verum enim eſt illud Pacuvii: Sol ſi perpetuo ſit, aut nox, flammeo vapore aut frigore terræ fructus omnes interire. *Varr. l. l.* Poteſt autem de noſtra cœli plaga illud prædicari: ſalubris utrimque mixtura, fertilis ad omnia tractus, magna & in calore temperies, ritus molles, ſenſus liquidus, ingenia fœcunda totiusque naturæ capacia. *Plin. L. II. S.* 80. Eſt enim hæc noſtra patria, quod ad loci ſalubritatem facit plurimum, fluminibus, amnibus & perlucidis rivis diſtincta, perennibus dulciſſimarum aquarum fontibus ditata, altis montibus, lætis ſilvis & opimis paſcuis obſepta, omnisque generis præſtantium ac ſapidiſſimorum fructuum feraciſſima, ut paucis mutatis dici de ea poſſit, quod Varro *l. l.* de Italia: quid - - utenſile non modo non naſcitur, ſed etiam non egregium ſit? quod far conferam Campano? quod triticum Appulo? quod vinum Falerno? quod oleum Venafro? non arboribus conſita - - eſt, ut tota pomarium videatur? *Varr. l. l.* Neque etiam me Italiæ injuriam facturum ſpero, ſi quæ in laudem ejus Plinius dixit, mutuaturus ſim: jam vero tanta ea vitalis ac perennis ſalubritatis cœli temperies, tam fertiles campi, tam aprici colles, tam innoxii ſaltus, tam opaca nemora, tam munifica ſilvarum genera, tot montium afflatus, tanta frugum & vitium olearumque fertilitas, tam nobilia pecori vellera, tot opima tauris colla, tot lacus, tot amnium fontiumque ubertas, totam eam perfundens. *Plin. L. III. S.* 6. Et iterum: pulcherrima artium præſtantia, ingeniorum claritatibus, jam ſitu, ac ſalubritate cœli atque temperie, acceſſu cunctarum gentium facili, littoribus portuoſis, benigno ventorum afflatu (etenim contingit procurrentis poſitio in partem utiliſſimam & inter ortus occaſusque mediam) aquarum fertilitate, pabuli ubertate. Quidquid eſt, quo carere vita non debeat, nusquam eſt præſtantius: fruges, vinum, olea,

II. & Fructuum ubertate.

olea, vellera, lina, veſtes, juvenci - - - Metallis auri, argenti, æris, ferri, quamdiu libuit exercere, nullis ceſſit: & iis nunc in ſe gravida pro omni dote varios ſuccos & frugum pomorumque ſapores fundit. *Plin. L. XXXVII. S. 77.* Urb. Tu auri frumentique montes. Euras. Hos equidem haud tibi, aut omnibus, ſalubre tamen regionis hujus cœlum polliceor. Hæc igitur tanta naturæ benignitas aeris quoque indicat ſalubritatem: nec tamen propterea, quod provincia quædam ſalubris dicatur, omnis ejus fundus hoc gaudet cœli beneficio, ad quod tamen inprimis ſpectabant Italici homines, utrum ſaluber locus eſſet, nec ne. *Varr. L. II. c. 2.* Quapropter cum ſit ſapientis non ubique emere, nec aut ubertatis illecebris aut deliciarum concinnitate decipi: ſic vere induſtrii patrisfamilias eſt, quidquid aut emerit, aut acceperit, facere fructuoſum atque utile. *Col. L. I. c. 4.* Urb. Et ego fundum utilem vellem, ſi invenirem. Euras. Utiliſſimus autem is ager, qui ſalubrior eſt, quam alii, quod ibi fructus certus: contra quod in peſtilenti calamitas, quamvis in feraci agro, colonum ad fructus pervenire non patitur; etenim ubi ratio cum orco habetur, ibi non modo fructus eſt incertus, ſed etiam colentium vita. Quare ubi ſalubritas non eſt, cultura non aliud eſt, atque alea domini vitæ ac rei familiaris. *Varr. L. I. c. 4.* ut ſi nihilominus quis vellet incolere, talis velut mente captus ad agnatos & gentiles deducendus ſit. *Col. L. I. c. 3.* Unde Attilius Regulus ille Punico bello bis conſul ajebat: neque fœcundiſſimis locis inſalubrem agrum parandum, neque effœtis ſaluberrimum - - malus eſt ager, cum quo dominus luctatur. *Plin. L. XVIII. S. 6. Col. l. l.* Urb. An nulla ſcientia calamitatem iſtam diminuendam autumas? Euras. Haud ſcio: ita enim ſalubritas, quæ ducitur e cœlo ac terra, non eſt in noſtra poteſtate, ſed in naturæ: ut

III. *Fundi ſalubritas præ cæteris æſtimatur*

ut tamen multum ſit in nobis, quod, graviora quæ ſunt, ea diligentia leviora facere poſſumus. *Varr. l. l.* quoniam & gravioris cœli multa remedia priores tradiderunt, quibus mitigetur peſtifera lues, haud ſecus ac in exili terra cultoris prudentia & diligentia maciem ſoli vincere poteſt. *Col. l. l.* URB.

IV. *tum. A ſitu villæ.* Remedia illa ſcire deſidero. EURAS. Etenim ſi propter terram aut aquam odoremve, quem aliquo loco eructat, peſtilentior eſt fundus: aut propter cœli regionem ager calidior ſit, aut ventus non bonus flet, hæc vitia emendari ſolent ſcientia ac ſumptu: quod permagni intereſt, ubi ſint poſitæ villæ, quantæ ſint, quo ſpectent, porticibus, oſtiis ac feneſtris. An non ille Hippocrates medicus in magna peſtilentia, non unum agrum, ſed multa oppida ſcientia ſervavit? Sed quid ego illum voco ad teſtimonium? nonne hic Varro noſter, cum Corcyræ eſſet exercitus ac claſſis, & omnes domus repletæ eſſent ægrotis ac funeribus, immiſſo feneſtris novis Aquilone & obſtructis peſtilentibus januaque permutata cæteraque ejus generis diligentia ſuos comites & familiam incolumes reduxit? *Varr. L. I. c. 4.* URB. Video villæ ſitum conferre plurimum. EURAS. Et ideo quod inchoatur ædificium, ſicut ſalubri regione, ita ſaluberrima parte regionis debet conſtitui; nam circumfuſus aer atque corruptus plurimas affert corporibus noſtris cauſas offenſarum. Sunt quædam loca, quæ ſolſtitiis minus concaleſcunt, ſed frigoribus hiemis intolerabiliter horrent - - Sunt, quæ tepent hieme, ſed æſtate ſæviſſime candent - - Petatur igitur aer calore & frigore temperatus, quem fere medius obtinet collis, quod neque depreſſus hieme pruinis torpet, aut torret æſtate vaporibus: neque elatus in ſumma montium perexiguis ventorum motibus aut pluviis omni tempore anni ſævit. Hæc igitur eſt medii collis optima poſitio, loco tamen ipſo paululum intumeſcente,

meſcente, ne, cum a vertice torrens imbribus conceptus effluxerit, fundamenta convellat. *Col. L. I. c.* 4. Urb. Non cuique obtingit ea ſitus felicitas, ut aut tam commode collis aſſurgat, aut flumen alluat. Euras. Sin ſummotus longius a collibus erit amnis & loci ſalubritas editiorque ſitus ripæ permittet ſuperponere villam profluenti: cavendum tamen erit, ut a tergo potius, quam præ ſe flumen habeat, & ut ædificii frons averſa ſit ab infeſtis ejus regionis ventis & amiciſſimis adverſa, cum plerique amnes æſtate vaporatis, hieme frigidis nebulis caligent; quæ niſi vi majore inſpirantium ventorum ſubmoventur pecudibus hominibusque conferunt peſtem. Optime autem ſalubribus, ut dixi, locis ad orientem vel meridiem, gravibus ad ſeptemtrionem villa obvertitur. *Col. L. I. c.* 5. Et quoniam de villæ poſitione & valetudinis quidem gratia nobis ſermo, operæ pretium eſt plurium ſcriptorum afferre animadverſiones & teſtimonia, quos inter primus denuo Varro *L. I. c.* 12. redeat, cujus hæc ſunt verba: vitandum ne in eas partes ſpectet villa, ex quibus ventus gravior afflare ſoleat, neve in convalli cava: & ut potius in ſublimi loco ædifices, qui quod perflatur, ſi quod eſt, quod adverſarium inferatur, facilius diſcutitur. Præterea quod ab ſole toto die illuſtratur, ſalubrior eſt, quod & beſtiolæ, ſi quæ prope naſcuntur & inferuntur, aut efflantur, aut aritudine cito pereunt. Nimbi repentini ac torrentes fluvii periculoſi illis, qui in humilibus ac cavis locis ædificia habent. Plinius *L. XVIII. S.* 7. monet: convenit nec juxta paludes ponendam eſſe, neque adverſo amne; quamquam Homerus omnino e flumine ſemper antelucanas auras inſalubres veriſſime tradidit: ſpectare in æſtuoſis locis ſeptemtriones debet, meridiem in frigidis, in temperatis exortum æquinoctialem. Columella *L. I. c.* 5. ejus rei aliam rationem ſubjungens ſcribit:

bit: nec paludem quidem vicinam eſſe oportet ædificiis, nec junctam militarem viam, quod illa caloribus noxium virus eructat & infeſtis aculeis armata gignit animalia, quæ in nos denſiſſimis examinibus involant: tum etiam natricum ſerpentiumque peſtes, hiberna deſtitutas uligine, cœno & fermentata colluvie venenatas, emittit. Ex quibus ſæpe contrahuntur cæci morbi, quorum cauſas ne medici quidem perſpicere queunt: ſed & anni toto tempore, ſitus atque humor inſtrumentum ruſticum ſupellectilemque & inconditos conditosque fructus corrumpit - - Propter quæ cenſeo ejusmodi vitare incommoda, villamque nec in via, nec peſtilenti loco, ſed procul & editiore ſitu condere, ut frons ejus ad orientem æquinoctialem directa ſit; nam ejusmodi poſitio medium temperatumque libramentum ventorum hiemalium & æſtivorum tenet: quantoque fuerit ædificii ſolum pronius orienti, tanto & æſtate liberius capere perflatus & hiemis procellis minus infeſtari & matutino regelari ortu poterit, ut concreti rores liqueſcant; quoniam fere peſtilens habetur, quod eſt remotum ac ſiniſtrum ſoli & apricis flatibus: quibus ſi caret, nulla alia vis poteſt nocturnas pruinas & quodcunque rubiginis aut ſpurcitiæ reſedit, ſiccare atque detergere. Hæc autem cum hominibus afferant perniciem, tum & armentis & virentibus eorumque fructibus. Bene igitur Varro *L. I. c.* 12. ſtatuit, dandum operam, ut potiſſimum ſub radicibus montis ſilveſtris villam ponas, ubi paſtiones ſint laxæ, ita ut contra ventos, qui ſaluberrimi in agro flabunt. Quæ poſita eſt ad exortus æquinoctiales aptiſſima, quod æſtate habet umbram, hieme ſolem. Sin cogare ſecundum flumen ædificare, curandum, ne adverſum eum ponas; hieme enim fiet vehementer frigida, & æſtate non ſalubris. Advertendum etiam, ſi qua erunt loca paluſtria & propter easdem cauſas, & quod areſcunt, &

creſcunt

creſcunt animalia quædam minuta, quæ non poſſunt oculi conſequi, & per aera intus in corpus & os ac nares perveniunt, atque efficiunt difficiles morbos. Urb. Aquarum terrarumque vitiis ars & induſtria humana quandoque mederi, nulla autem ſcientia cœlum ipſum emendare poteſt. Aut quæ ſolertia ingenii craſſum cum tenui, caliginoſum cum lucido, nebuloſum cum ſereno, humidum cum ſicco, pinguem cum ſubtili, immoderatum cum temperato, turbidum cum placido poterit commutare? Hæc cum ſuperent humani ingenii vires, ego tamen valetudinis meæ religioſus obſervator, ſalubris ſaltem cœli ſigna noſcere & inveſtigare deſidero. Euras. Aëris igitur ſalubritatem declarant loca ab infimis vallibus libera & nebularum noctibus abſoluta. *Pallad. L. I. T. 3.* Urb. Eo quidem ſitus beneficio & villa mea & plures aliæ gaudent, nec tamen omnes purum probatumque cœlum habent. Euras. Solis ventorumque vis auram puram fœculenta, perſpicuam nebuloſa, levem gravi, ſubtilem pingui haud raro vitiare ſolet. Urb. An locum ventis expoſitum formidare jubeor? Euras. Gratior eſt aura quam ventus, qui tamen, etſi incommodus, præferendus eſt cœlo ſemper quieto; hoc enim, ſi omnis agitationis eſt expers, torpeſcit, pigreſcit & craſſeſcit: ventorum vero impulſu peſtilentibus halitibus diſſipatis & diſſolutis purgatum hilareſcit. Horum impetum oppoſiti montes, colles, & ſilvæ accidere atque comprimere ſolent, ut tanquam de pugna & longo itinere feſſi ſpirare potius quam furere videantur. Urb. Agnoſco quoddam montium officium. Euras. Non hoc tantum: nam montes natura ſibi fecerat ad quaſdam compages telluris viſceribus denſandas, ſimul ad impetus fluminum domandos, fluctusque frangendos, ac minime quietas partes coercendas.

V. *Tum ab aeris ſalubris acceſſu*

De Re Ruſtica. O *Plin.*

Plin. L. XXXVI. S. 1. Illi autem venti ſunt maxime valetudini noſtræ inimici, qui ab Auſtro & locis paluſtribus aut fœtidis proficiſcuntur. Urb. Per me & Eurus, & Notus, & Boreas flare deſinat. Euras. Cave, dixeris: non enim ex una cauſa ventos aut invenit, aut per diverſa diſpoſuit: ſed primum, ut aera non ſinerent pigreſcere, ſed aſſidua vexatione utilem redderent, vitalemque tracturis: deinde ut imbres terris ſubminiſtrarent, iidemque nimios compeſcerent; nam modo adducunt nubes, modo diducunt, ut per totum orbem pluviæ dividi poſſent. In Italiam Auſter impellit, Aquilo in Africam rejicit - - quid quod fruges percipi non poſſunt, niſi flatu ſupervacua admixta ſervandis ventilarentur, niſi eſſet quod ſegetem excitaret & latentem frugem ruptis velamentis ſuis, quæ folliculos agricolæ vocant, adaperiret. Quid quod omnibus inter ſe populis commercium dedit & gentes diſſipatas locis miſcuit? Ingens naturæ beneficium, ſi illud in injuriam ſuam non vertat hominum furor. *Senec. Nat. quæſt. L. V. c.* 18. Urb. Cedo, cedo, non tibi, ſed Senecæ. Tu notas ſalubris aeris me docere perge. Euras. Salubritati igitur illa mihi commodiſſima ſedes videtur, in qua teporis humoriſque temperatio quædam & viciſſitudo, ſeu humida quædam ſiccitas & ſiccus humor, ne corpus aut iniquo calore reſolvatur, aut humore in tabem abeat; hine Plinius *L. XVIII. S.* 7. villam in æſtuoſis locis ſeptemtriones ſpectare jubet, meridiem in frigidis, in temperatis exortum

VI. *Tum ex hominum pecorumque, nec non etiam fructuum ſpecie.*

æquinoctialem. Præter hæc aeris ſalubritatem declarant, ſcribit Palladius *L. I. T.* 3. habitatorum conſiderata corpora, ſi eis color ſanus, capitis firma ſinceritas, inoffenſum lumen oculorum, purus auditus, fauces commeatum liquidæ vocis exercent. Hoc genere benignitas aeris approbatur: his autem

tem contraria noxium cœli illius ſpiritum confitentur. Quibus tamen ſignis non nimium tribuens Plinius *l. l.* ſalubritas loci, inquit, non ſemper incolarum colore detegitur; quoniam aſſueti etiam in peſtilentibus durant. Præterea ſunt quædam partibus anni ſalubria: nihil autem ſalutare eſt, niſi quod toto anno ſalubre eſt. Urb. Mihi tamen ſalubris fundi non fallax argumentum eſt, ſi incolæ ejus loci corpore valido, erecto, vegeto, colore vivido, concinna membrorum figura, acri oculorum obtutu, manu prompti, ad labores impigri, ad munia ſua apti & alacres: juvenes ſi liberali, læta ac decora facie, colore nitido, indole bona, ad opera, ad artes, & opificia dociles: ſi multi & admodum ſenes, iique valentuli & vivaces: a contrario de loci illius ſalubritate haud proſperum quid divinarem, ſi pauci, morbidique ſenes: ſi ſine igne ſuccoque juventus: ſi cæteri facie macilenta, tumida, pallida, livida, colore exangui, ventro obeſo, languidis flaccidisque membris, ſi ſtrabi, ſtrumoſi, ſurdaſtri, lippientes: ſi ingenio hebetes, plumbei, ſtolidi, bardi. Euras. Nec deſunt, qui idem argumentum ad pecora quoque ducunt, ut ſi firmis, validisque præſtent membris: ſanis integrisque viſceribus: oculorum, capitis aliisve non afficiantur incommodis: partus edant præſtabiles: pabulum cum voluptate conſumant, pretiumque ejus reddant cum fœnore. Arborum quoque fructuumque variorum ubertas ſalubris ſoli quoddam indicium dicitur, ſi illæ non ſolum diu, ſed & venuſtiſſime vireant floreantque: & hi laudatiſſimi ſaporis, ſucci & coloris ſint: verum & illæ longam durent in ætatem: & hi aut in apothecis & granariis conditi non facile putiſcant & corrumpantur: qua ratione etiam ædificia citius ſcabra & carioſa malignam tellurem, noxias exhalationes & afflatus prodere

O 2 volunt.

Digitized by Google

volunt. Urb. Cur convalles, humiliora & depreſſa loca a nebulis libera non multum probas? Euras. Quoniam nivium procellis & eluvionibus ſunt obnoxia, hauſtoque humore immodico putent madore perpetuo, cujus afflatu & corpora & ædificia & frumenta, arma, libri, & ſupellex omnis vitiatur: æſtivis caloribus & repercuſſis ſolis radiis incolæ pene exuruntur: aut hujus fulgoribus deſtituti umbrarum nocte in cruditatem & torpedinem aguntur. Venti conſtricti compreſſique nullibi violentius ſæviunt, &, ſi ab his quædam induciæ, mox aer contracta ſpiſſitudine velut ſtagnum & lacuna aerea pigreſcit. Urb. Bene igitur majores mei villam in loco edito poſuerunt. Euras. Optimo conſilio: ſed cum pleraque valetudinis incommoda ad genus terræ, genus aquæ, halitum tetrum, aerem fervidiorem, afflatum venti nocentioris, aut noxias tempeſtates referantur, & de plerisque jam diſſeruerimus, ſalubris tamen aquæ, tum pro homine, tum pro pecore, habenda ſit ratio, de hujus neceſſitate proxime noſtrum ſermonem conferemus.

DIALOGUS

DIALOGUS IX.
DE AQUA.

ARGUMENTUM.

I. *Aquam in villa neceſſariam eſſe.*
II. *Aquarum diverſitas.*
III. *De aqua pluviali.*
IV. *De aqua ex ciſternis, puteis, rivis & amnibus.*
V. *De aqua ex nativis fontibus.*
VI. *De quibusdam miraculis aquarum.*
VII. *Vitia aquarum ſunt limus & cœnum.*
VIII. *De ſapore, odore & colore aquæ.*
IX. *De levitate aquæ.*
X. *De frigore aquæ.*
XI. *De aliis ſignis bonæ malæve aquæ.*
XII. *De aquarum ductibus.*

I. *Aquam in villa neceſſariam eſſe.*

Euras. Quandoquidem aquarum elementum cæteris omnibus imperat, *Plin. L. XXXI. præf.* nunc de eo nobis ſermo erit. Urb. Earum quidem inopia prædium meum minime laborat; nam & flumen alluit & decurrens ex monte rivus pervagatur: hic ſcaturientes fontes, illic puteum habet. Quæ ex his aut hominum valetudini, aut animalium, aut frugum hortorumque ubertati ſaluberrima, diſcere lubenter cupio. Euras. Recte id petis, quoniam ſine aqua omnis arida & miſera agricultura: ſine ſucceſſu ac bono eventu fruſtratio eſt non cultura. *Varr. L. I. c.* 1. ut facilius quarumcunque rerum, quam illius inopiam perferamus, cum ſine hac nec gramina in pratis, nec olera in hortis, nec pecora, nec homines vivendi munere fungi poſſint, quoniam humor hic omnibus humo prodeuntibus non minus naſcendi & augeſcendi, quam fructus pariendi auctor eſt, ut propterea Pindarus optimam rerum aquam dixerit. Igitur de bonitate aquæ ita omnibus clarum eſt, ut pluribus non ſit diſſerendum. Quis enim dubitet,

bitet, eam maxime probatam haberi, ſine qua nemo noſtrum vel proſperæ vel adverſæ valetudinis vitam proroget. *Col. L. I. c.* 3. Quamvis vero aqua neceſſaria, non tamen omnis omnibus optima; eſt enim varia atque diverſa: aut ſtant omnes aquæ, aut fluunt: aut colliguntur, aut varias habent venas. Aliæ ſunt dulces, aliæ variæ, aſperæ quippe interveniunt, ſalſæ, aut medicatæ. Indicat vim ſapor. Habent præterea multa diſcrimina: primum tactus, frigidæ calidæque ſunt. Deinde ponderis: leves & graves ſunt. Deinde coloris: puræ ſunt & turbidæ, cæruleæ, lucidæ. Deinde ſalubritatis: ſunt enim ſalubres & utiles: ſunt mortiferæ. Sunt, quæ cogantur in lapidem. Quædam tenues, quædam pingues: quædam alunt: quædam ſine ulla bibentis ope transeunt: quædam hauſtæ fœcunditatem afferunt. *Senec. Nat. quæſt. L. III. c.* 2. Et velut vaſorum, quibus infunduntur, ſaporem, odorem, & colorem induunt, ſic & terrarum, per quas labuntur. Hinc per glareoſam dulces, per lapidoſam frigidæ, per ſulphuratam calidæ, per fodinas & certa mineralia ſalubres & acidæ redduntur. Eſt autem aqua viva, jugis perennis, nunquam deficiens, ſaliens, caduca in fontibus, fluens in rivis & fluminibus, puteana in puteis, cœleſtis ſeu pluvialis collecta in ciſternis, ſtagnans & reſes in ſtagnis, paluſtris, lacuſtris, nivalis, glacialis, roralis. URB. Diu expecto, quam ex his præferendam dicas. EURAS. Præſtantiæ ordinem hunc ſcriptores noſtri tradunt: ſepta villæ habeant aquam: ſi non, quam proxime: primum, quæ ibi ſit nata: ſecundum, quæ influat perennis. Si omnino aqua non eſt viva, ciſternæ faciundæ ſub tectis & lacus ſub dio, altero loco, ut homines, altero ut pecus uti poſſit. *Varr. L. I. c.* 11. Sit autem vel intra villam, vel extrinſecus inductus fons perennis - - - ad æſtuum temperandos calores

II. *Aquarum diverſitas*

res & amœnitatem locorum plurimum conferunt ſalientes rivi, quos ſi conditio loci patietur, qualescunque, dummodo dulces, utique perducendos in villam cenſeo - - Si deerit fluens unda, putealis quæratur in vicino, quæ non ſit hauſtus profundi, non amari ſaporis, aut ſalſi. Hæc quoque ſi deficient, & ſpes arctior aquæ manantis coegerit, vaſtæ ciſternæ hominibus, piſcinæque pecoribus inſtruantur, colligendæ aquæ tandem pluviali, quæ ſalubritati corporis eſt accommodatiſſima. Sed ea ſic habetur eximia, ſi fictilibus tubis in contectam ciſternam deducatur. Huic proxime fluens unda e montibus orìunda, ſi per ſaxa præceps devolvitur. - - Tertia putealis vel collina, vel quæ non in infima valle reperitur. Deterrima paluſtris, quæ pigroſo lapſu repit: peſtilens quæ in palude ſemper conſiſtit. *Col. L. I. c.* 5. Et *L. IX. c.* 1. ſi naturalis defuit aqua, vel inducitur fluens, vel infoſſi lacus ſignino conſternuntur, qui receptam pluviatilem contineant. Urb. Cum tanti momenti ad bonam corporis temperationem aquæ conferant, ut Romani non ſolum oppida condituri, ſed & caſtra ſtativa metaturi, pecudum exta ſolicite rimati ſint, & ſi jecinora livida, aut infecta inveniſſent, id malum aquarum vitio tribuentes mox caſtra moverint, quæ tandem ſigna probatæ ſalubritatis nobis fidem tot inter varias aquas facient? Euras. Bene mones, nam quæritur inter medicos, cujus generis aquæ ſint utiliſſimæ? ſtagnantes pigrasque merito damnant: utiliores, quæ profluunt, exiſtimantes, curſu enim percuſſuque ipſo extenuari atque proficere. *Plin. L. XXXI. S.* 21. Miratur propterea ciſternarum uſus ab aliquibus maxime probari, afferentibus hanc rationem, quoniam leviſſima ſit imbrium aqua, ut quæ ſubire potuerit ac pendere in aere: ideo & nives præferunt imbribus, nivibus etiam glaciem, velut affinium coacta ſubtilitate: leviora enim hæc eſſe & glaciem

III.
De aqua pluviali.

ciem multo leviorem aqua. Et tamen non ſolum Columella *l. l.* aquam pluvialem ſalubritati accommodatiſſimam & Palladius *L. I. c.* 17. ad bibendum omnibus anteferendam, verum & medicorum princeps Hippocrates *L. de aer. & aq. c.* 4. & cum eo Celſus *L. II. c.* 18. ſcribit: aqua leviſſima pluvialis eſt, deinde fontana: tum ex flumine: tum ex puteo: poſt hæc ex nive, aut glacie: gravior his ex lacu: graviſſima ex palude. Horum ſententiam refelli intereſt vitæ, ſcribit Plinius: inprimis enim levitas illa deprehendi aliter quam ſenſu vix poteſt, nullo pene momento ponderis aquis inter ſe diſtantibus. Verum leve eſt hoc argumentum, cui non ſolum Seneca *l. l.* verum & experimenta plurima adverſantur, quibus major minorve levitas aquarum dilucide explorari poteſt. Fortius vero ſtringit iis, quæ ſequuntur: nec levitatis in pluvia aqua argumentum eſt, inquit, ſubiiſſe eam in cœlum, cum etiam lapides ſubire appareat, cadensque inficiatur halitu terræ. Quo fit, ut plurimæ aquæ ſordium ineſſe plurimum ſentiatur, citiſſimeque ideo calefiat aqua pluvia - - Pluvias quidem aquas celerrime putreſcere convenit, minime durare in navigatione. *Plin. l. l.* Conſtat igitur vapores illos, priusquam in pluvias reſolvantur ex variis atque etiam corruptiſſimis aquis collectos, halitu terræ & caloribus ſolis infectos, plurimas ſordes & ingratum ſaporem vehere, denique citiſſime putreſcere, atque ob id ipſum agris hortisque ſaluberrimas eſſe, quia pingues. Aquas, quæ ex nive aut glacie fiunt, omnes eſſe pravas teſtatur Hippocrates *l. l.* eo quod id, quod in ipſis clarum, leve & dulce eſt, excernatur, & evaneſcat, quod vero turbidum & ponderoſum relinquatur. Nivem quidem glaciemque ſubtiliſſimum elementi ejus videri miror, verba ſunt Plinii *l. l.* appoſito grandinum argumento, e quibus peſtilentiſſimum potum eſſe convenit. Nec vero pauci

pauci inter ipſos e contrario ex gelu ac nivibus inſaluberrimos potus prædicant, quoniam exactum ſit inde, quod tenuiſſimum fuerit. Minui certe liquorem omnem congelatione deprehenditur & rore nimio ſcabiem fieri, pruina uredinem, cognatis & nivis cauſis. Urb. Salubriores igitur aquas ex puteis quam ex ciſternis haurimus? Euras. Oppido Plinii opinione: certo illæ, inquit, quibus exercitationis ratio crebro hauſta contingit & illa tenuitas colante terra. Urb. Aqua rivi & amnis puteali citra dubitationem præſtantior. Euras. Nec tamen propterea Plinius omnes ſtatim amnium, torrentiumque aquas utiles & ſalubres cenſet, ſed aliis alias aptiores; cujus rationem reddit: neque æqualis amnium plerumque guſtus eſt, magna alvei differentia; quippe tales ſunt aquæ, qualis terra, per quam fluunt, qualesque herbarum, quas lavant, ſucci. Ergo iidem amnes parte aliqua inveniuntur inſalubres. Mutant ſaporem & influentes rivi, ut Boryſthenem, victique diluuntur: aliqui vero & imbre mutantur. Urb. Probatiſſimæ igitur ſaluberrimæque genuinorum fontium aquæ, quales plurimi in noſtris montibus & ſummis quandoque jugis oriuntur? Euras. Pleroſque non ſalubres modo, ſed &, ſi loqui fas eſt, ſapidiſſimos inveni. Urb. Atqui hi ipſi ex collectis nivium, pluviarum & ſubſidentibus paludum, aut permeantibus rivorum, torrentiumque aquis originem ducunt. Euras. Ducant licet (neque enim in hac philoſophica diſceptatione ad alia properantes aquam conſumemus) ipſa tamen percuſſione & percurſione in ipſius terræ ſinu velut cribro fæcibus purgantur, lævigantur, & extenuantur. Si vero antiquorum ſententiam amplectamur, fontium origines ad ipſum mare referendæ ſunt, ex quo per ductus ſubterraneos etiam in altiſſimos montes, velut ſanguis ex hepate, per venas contendit, ut nihilo magis mirum ſca-

IV. *De aqua ex ciſternis, puteis, rivis & amnibus.*

V. *De aqua ex nativis fontibus.*

turire aquam ex montis vertice, ac quod ſanguis ex fronte vena ſecta emicet. Hac ratione Seneca explicat, quod nec omnis fons perennis, nec conſtanter ſalubris ac ſapidus eſſe poſſit: placet naturæ regi terram, inquit, & quidem ad noſtrorum corporum exemplar, in quibus & venæ ſunt & arteriæ: illæ ſanguinis, hæ ſpiritus receptacula. In terra quoque ſunt alia itinera, per quæ aqua, & alia, per quæ ſpiritus currit, adeoque illam ad ſimilitudinem humanorum corporum natura formavit, ut majores quoque noſtri aquarum appellaverint venas. Sed quemadmodum in nobis non tantum ſanguis eſt, ſed multa genera humoris, alia neceſſarii, alia corrupti, ac paulo pinguioris - - ſic in terra quoque ſunt humoris genera complura - - - Cæterum, ut in noſtris corporibus, ita illa ſæpe humores vitia concipiunt: aut ictus, aut quaſſatio aliqua, aut loci ſenium, aut frigus aut æſtus corrupere naturam, & ſulphuratio contraxit humorem, qui modo diuturnus eſt, modo brevis. Ergo ut in corporibus noſtris ſanguis, cum percuſſa vena eſt, tamdiu manat, donec omnis effluxit, aut donec venæ ſciſſura ſubſedit atque intercluſit, vel aliqua alia cauſa retro dedit ſanguinem: ita in terra ſolutis ac patefactis venis rivus aut flumen effunditur. Intereſt quantum aperta ſit vena, quomodo conſumpta aqua ſit: modo exiccatur aliquo impedimento, modo coit, velut in cicatricem comprimitque, quam fecerat: viam: modo illa vis terræ, quam eſſe mutabilem diximus, deſinit poſſe alimenta in humorem convertere: aliquando autem exhauſta replentur: modo per ſe viribus recollectis & modo aliunde translatis; ſæpe enim inania, appoſita plenis, humorem in ſe attrahunt: ſæpe terra, ſi facilis eſt, ipſa in tabem reſolvitur & humeſcit. Idem evenit ſub terra, quod in nubibus, ut ſpiſſetur, gravioremque, quam ut manere in natura ſua poſſit, gignat

gnat humorem. Sæpe colligitur roris modo tenuis & diſperſus liquor, qui ex multis in unum locum confluit, ſudorem aquileges vocant, quia guttæ quædam vel preſſura loci eliduntur, vel æſtu evocantur. Hic tenuis unda vix fonti ſufficit: at ex magnis cauſis magnisque conceptibus excidunt amnes: non nunquam leniter, ſi aqua pondere ſuo ſe tantum detulit: non nunquam vehementer & cum ſono ſuo: ſi illam ſpiritus intermixtus ejecit. *Senec. Nat. quæſt. L. III. c.* 15. Urb. Quis ductus illos fervoresque ſubterraneos ceu quosdam ſpiritus vitales aut detexit, aut conſtruxit? Euras. Reſpondet Plinius *L. II. S.* 66. quod ita formaſſe artifex natura credi debet, ut, cum terra arida & ſicca conſtare per ſe ac ſine humore non poſſet; nec rurſus ſtare aqua, niſi ſuſtinente terra, mutuo implexu jungerentur: hac ſinus pandente: illa vero permeante totam intra, extra, ſupra, venis ut vinculis diſcurrentibus, atque etiam in ſummis jugis erumpente: quo ſpiritu acta & terræ pondere expreſſa, ſiphonum modo emicat: tantumque a periculo decidendi abeſt, ut in ſumma quæque & altiſſima exiliat. Qua ratione manifeſtum eſt, quare tot fluminum quotidiano acceſſu maria non creſcant. Urb. Nihil igitur pluviæ conferunt? Euras. Fere nihil: non enim eſſe pluvialem hanc aquam, quæ vaſtiſſima flumina a fonte ſtatim, magnis apta navigiis defert, ex hoc intelligas licet, quod per hiemem æſtatemque par eſt a capite dejectus. Pluvia poteſt facere torrentem: non poteſt autem æquali inter ripas ſuas tenore labentem. Aquam non faciunt imbres. ſed incitant. *Senec. l. l. c.* 9.

VI. *De quibusdam miraculis aquarum.*

Urb. Magna profecto aquarum miracula proxime elapſis annis prodita ſunt, cum hic fontes areſcerent, hic novi ſcaturirent: illic ſaporem amitterent, iſtic aſſumerent: alii jucunde olerent, alii amari fluerent, faſtidium moventes & nauſeam: alii ſemper ante hac pellucidi,

jam turbidi & purgamenta ejectantes. EURAS. Sæpe motu terræ itinera turbantur & ruina interſcindit aquas, quæ retentæ novos exitus quærunt & aliquo impetu faciunt, aut ipſius quaſſatione terræ aliunde alio transferuntur. Apud nos evenire ſolet, ut amiſſo canali ſuo flumina primum refundantur: deinde quia perdiderunt viam, faciant, quod accidiſſe ait Theophraſtus in Coryco monte, in quo poſt terrarum tremorem nova vis fontium emerſit. *Sen. l. l.* Sunt enim illic ſpecus vaſti, ſunt ingentes receſſus & ſpatia ſuſpenſis hinc inde montibus laxa. Sunt abrupti in infinitum hiatus, qui ſæpe illapſas urbes receperunt & ingentem in alto ruinam condiderunt. Hæc ſpiritu plena ſunt; nihil enim usquam inane eſt & ſtagna obſeſſa tenebris & locis amplis. *Sen. l. l. c.* 16. URB. Mirabiles hos effectus certis horis redire quis explicet? EURAS. Quemadmodum quartana ad horam venit, quemadmodum podagra ad tempus reſpondet, quemadmodum purgatio, ſi nihil obſtitit, ſtatum diem ſervat, quemadmodum præſto eſt ad menſem ſuum partus: ſic aquæ intervalla habent, quibus ſe retrahant & quibus redeant. Quædam autem intervalla minora ſunt, & ideo notabilia: quædam majora, nec minus certa. Et quid hoc mirum eſt, cum videas ordinem rerum & naturam per conſtituta procedere? hiems nunquam aberravit: æſtas ſuo tempore incaluit: autumni verisque, ut ſolet, facta mutatio eſt: tam ſolſtitium, quam æquinoctium ſuos dies retulit. Sunt & ſub terra minus nota nobis jura naturæ, ſed non minus certa: crede infra, quidquid vides ſupra. *Senec. l. l.* Cæterum nollem ego aut pro hujus vulgatæ ſententiæ, aut omnium de aquis proditorum miraculorum veritate fundere ſanguinem. Nos bonæ vitioſæve

VII. *Vitia aquarum* aquæ notas inveſtigabimus. Limus aquarum vitium eſt. *Plin. L. XXXI. S.* 22. *Pallad. L. I. T.* 4. Hinc Ovidius

L. III.

L. III. Metamorph. puriſſimas deſcripturus aquas dixit: *ſunt limus & cœnum.*

Fons erat illimis nitidis argenteus undis.

Neſcio autem quo argumento Plinius ductus perhibeat: ſi tamen idem amnis anguillis ſcateat, ſalubritatis indicium habetur. Quod ſi verum eſt, oportet lacum Benacum, &, quem transmittit, Mincium aquas ducere ſaluberrimas, utpote ad cujus emerſus, eodem Plinio teſte *L. IX. S.* 38. annuo tempore, Octobri fere menſe, fluctibus glomeratæ volvuntur, in tantum mirabili multitudine, ut in excipulis ejus fluminis, ob hoc ipſum fabricatis, ſingulorum millium globi reperiantur. Ante omnia autem damnantur amaræ, & quæ, cum ſorbentur, ſtatim implent. *Plin. L. XXXI. S.* 22. cujus cauſam ad gravitatem & ponderoſum aquæ corpus referunt. *Athenæ. L. II.* Dein illi fontes, qui cœnum faciunt, quique malum colorem bibentibus. *Plin. l. l. Vitruv. L. VIII. c.* 5. Latentis cœni periculum faciunt, dum candido ſuperfuſæ linteo nullas labes aut maculas creat. Refert & ſi vaſa ænea inficiunt: aut ſi legumina tarde percoquunt: ſi liquatæ leniter terram relinquunt decoctæque craſſis obducunt vaſa cruſtis. *Plin. Vitruv. l. l. Pallad. L. IX. T.* 10. Saporis vero odorisve argumentum majori dubio eſt expoſitum. Plinius *L. XV. S.* 37. negat aquis odorem ullum, aut eum ſalubrem & naturalem, ſed potius vitium eſſe: nullus (ſapor) hic aquis, inquit, nec ſuccus quidem, ut tamen eo ipſo fiat aliquis ac ſuum genus faciat. Sentiri quidem aquæ ſaporem ullum ſuccumve vitium eſt. Magnum his omnibus in odore momentum & magna cognatio, qui ipſe nullus eſt aquis: aut ſi ſentitur, omnino vitium eſt. Mirum tria naturæ præcipua elementa ſine ſapore eſſe, ſine odore, ſine ſucco: aquas, aera, ignem. Et iterum *L. XXXI. S.* 22. Eſt etiamnum vitium non fœtidæ modo, verum omnino quidquam reſipientis, jucundum

VIII. *De ſapore, odore & colore aquæ.*

ſit illud licet, gratumve, & ut ſæpe ad viciniam lactis accedens. Aquam ſalubrem aeri quam ſimillimam eſſe oportet - - De cætero aquarum ſalubrium ſapor odorve nullus eſſe debet. Plinii partes tuetur etiam Palladius *L. I. T.* 4. ubi ait: ſit perſpicui coloris, neque ullo aut ſapore, aut odore vitietur. Urb. Quid autem acidulæ? quid ſapidiſſimi juxta ac limpidiſſimi in ſupremis alpibus ac montium noſtrorum jugis ſcaturientes fontes? quam dulcis illis, quam jucundus, quam ſalubris ſapor? Euras. Nullus quidem eſt, adverte animum ad Plinii verba, ut tamen eo ipſo ſit aliquis, ſed in ſuo genere, ac velut cognatio quædam cum ſapore, in quo bonitatis aquæ magnum poſitum eſt momentum. Urb. Unde igitur ſapor accedit aquis? Euras. Seneca *Nat. quæſt. L. III. c.* 20. quatuor agnoſcit, nec tamen omnes vitioſas aſſerit. Ex ſolo prima eſt, per quod feruntur. Secunda ex eadem ſimulatione ejus naſcitur. Tertia ex ſpiritu, qui in aquam transfiguratus eſt. Quarta ex vitio, quod ſæpe concipiunt corruptæ per injuriam. Hæ cauſæ ſaporem dant aquis varium: hæ medicaminum potentiam: hæ gravem ſpiritum odoremve peſtiferum: hæ levitatem, gravitatemque aut colorem, aut nimium rigorem. Intereſt utrum per loca ſulphere, an nitro, an bitumine plena tranſeant. Talibus igitur & ipſe Plinius *l. l. S.* 32. ſalubrem medendi virtutem adſcribit: ſulphurata nervis, inquit, aluminata paralyticis, aut ſimili modo ſolutis: bituminata aut nitroſa - - bibendo atque purgationibus. Nobis vero de aquis iſtis medicis ſermo non eſt. Nec tamen auſim dicere, alias dulces, pellucidas, leves, ac contracta ex fodinis & mineralibus cujusdam tenuiſſimi velut ſaporis ſpecie aut affinitate gratiſſimas, atque longo itinere colatas & defæcatas, æſtate frigidas, hieme temperatas, ac inter altas nives & glacies velut ex tepido quodam ſinu proſilientes

aquas

aquas valetudini parum amicas eſſe. Teſtatur ipſe Plinius omnes fontes æſtate, quam hieme gelidiores eſſe. *L. II. S.*106. Et *L. XXXI. S.*29. aſſerit, omnem aquam hieme dulciorem, æſtate autem minus, autumno minime, minusque per ſiccitates. Damnat quidem Palladius *L. I. c.*4. illas, quæ de metallis originem ſumunt. Hic enim metallorum vocabulo haud veniunt æris fodinæ, ex quibus Vitruvii teſtimonio *L. VIII. c.* 3. ſaluberrimæ aquæ oriuntur, ſed calcis marmorisve fodinæ, qua acceptione uſus etiam eſt Plinius *L. XXXVI. S.* 28. omnia, inquiens, crurum vitia in iis lapicidinis ſanantur, cum in metallis omnibus crura vitientur. Et cum eodem plures alii *Lucan. Pharſ. L. IV. v.*303. *Stat. Silv. III.*1. *Sedul. I.* 139.

IX. *De levitate aquæ.*

Urb. Leviorem vero aquam, quam pretioſiorem eſſe dicunt, qua ratione agnoſcam? Euras. Deprehendi vix poſſe autumabat Plinius *L. XXXI. S.* 23. quidam ſtatera, ſcribit, judicant de ſalubritate, fruſtrante diligentia, quando perrarum eſt, ut levior ſit aqua. Ex quibus verbis tamen apparet, jam veteres indicante quadam ſtatera de pondere levitateque aquæ judicaſſe, quam & ipſe agnovit Plinius *L. II. S.* 106. modo majorem, modo minorem eſſe: dulces mari invehuntur, inquiens, leviores haud dubie, ideo & marinæ, quarum natura gravior, magis invecta ſuſtinent. Sed deprehendi vix poſſe cenſebat, quoniam rude adhuc illis erat libramenti inſtrumentum. Certior igitur ſalubritatis nota viſa eſt Plinio *L. XXXI. S.* 23. inter pares meliorem eſſe, quæ caleſiat, refrigereturque celerius. Quod & Celſus *L. II. c.* 18. obſervavit: ex his, quæ pondere pares ſunt, eo melior quæque eſt, quæ celerius & caleſit & frigeſcit: quoque celerius ex ea legumina coquuntur.

X. *De frigore aquæ.*

Bona denique aqua frigus tepore ſuo mulceat, æſtatisque incendia frigore moderetur. *Pallad. L. I. c.*4. Ut autem frigida ſit, neceſſaria eſt ei opacitas, & quod

ad

ad perennitatem pertinet, ut illa vado exiliat vena non e lateribus; nam ut tactu gelida ſit, etiam arte contingit - - - Neronis Principis inventum eſt, decoquere aquam, vitroque demiſſam in nives refrigerare; ita voluptas frigoris contingit ſine vitiis nivis. *Plin. l. l.* Cum enim glaciem ſuperfundi aquæ non probarent medici, vas vini aut aquæ potui paratum immittebant vaſi nivem glaciemque continenti, ut hujus quidem frigus, non autem cæteram aſperitatem concipiat, innocenti bibentis commodo & voluptate. Invehitur tamen in hos mores Seneca *Nat. quæſt. L. IV. c.* 13. quid hac diligentia conſecuti ſumus? quærens, nempe ut gratuitam mercemur aquam. Nobis dolet, quod ſolem emere non poſſumus, quod hic aer etiam delicatis divitibusque ex facili, nec emptus venit. O quam nobis male eſt, quod quicquam a rerum natura in medio relictum eſt. - - Aliquid adhuc quærite illa frigidius, quia pro nihilo eſt familiaris rigor. Tu ergo, Urbane, fuge tanto pretio quæſitum frigus, illudque ſerva Columella *L. X. v.* 285.

Nec rigidos potare juvat, nec ſole tepentes.

XI. *De aliis ſignis bonæ malæve aquæ.*

Urb. Obſervatis his aquæ dotibus haud erit, ut valetudini meæ timeam. Euras. Haud erit: ſed quia ſolet his omnibus ad ſpeciem cuſtoditis occultiorem noxam tectior ſervare natura, ipſam quoque ex incolarum ſalubritate noſcamus: ſi fauces bibentium puræ ſunt, ſi ſalvo capite, in pulmonibus ac thorace aut nulla eſt, aut rara cauſatio; nam plerumque has noxas corporis ad inferiorem partem, quæ ſupra ſunt corrupta demittunt, ut vitiato capite ad pulmones vel ſtomachum morbi cauſa decurrat, tunc culpandus aer potius invenitur. Deinde ſi venter aut viſcera, vel latera, vel renes nullo dolore aut inflatione vexantur, ſi vitia nulla veſicæ ſint. Hæc atque his ſimilia ſi apud incolas pro majori parte conſtare videris

deris, nec de aere aliquid, nec de fontibus ſuſpiceris. Pallad. *L. I. c.* 4. Urb. Ferunt in ipſo fundo notas dari & indicia, vitioſæ, an ſalubres aquæ oriantur? Euras. Plinius atque Palladius *l. l.* hæc fere habet: reperiuntur in convallibus maxime, & quodam convexitatis cardine, aut montium radicibus. Multi ſeptemtrionales ubique partes aquoſas exiſtimavere; qua in re varietatem naturæ aperuiſſe conveniat. Addit tamen ſtudioſe Plinius: nihil in his perpetuæ obſervationis judicabitur. Aquarum ſunt notæ juncus, aut arundo, aut herba (Bechion de qua in ſuperioribus dixit) multumque alicui loco pectore incumbens rana: ſalix enim erratica & alnus, aut vitex, aut arundo, aut edera ſponte proveniunt & corrivatione aquæ pluviæ in locum humiliorem a ſuperioribus defluentis, augurio fallaci. Poſt hæc affert plura alia jam a Vitruvio *L. VIII. c.* 1. tradita, quæ cum ad aquilegum vanas obſervationes & divinationes pertineant, prætermitto, ſed Plinii tantum animadverſionem ſubjungo: aqua ſemper dulcis in argilloſa terra: frigidior in tofo; namque & hic probatur; dulces enim, leviſſimas facit, & colando continet ſordes. Sabulum exiles, limoſasque promittit. Glarea incertas venas, ſed boni ſaporis. Sabulum maſculum & arena & carbunculus certas ſtabilesque & ſalubres. Rubra ſaxa optimas ſpeique certiſſimæ. Radices montium ſaxoſæ & ſilex hoc amplius rigentes. *Plin. l. l. S.* 28. Noſtri fontem illius aquæ & ſapidiſſimum & ſaluberrimum habent, quem circa plurima gignuntur naſturcia, ac nigri lapilli nullo muſco veſtiti jucunde cum ſtrepitu ebullientem cingunt: in cujus vicinia nullæ languidæ ſcaturigines: pumex, marmor, aut lapis, ex quo calx coquitur, nullus: ſed tum ſilex, tum glarea, tum herbidum floridumque ſolum.

XII. *De aquarum ductibus.*

Urb. Cum ſæpe longius deducenda ſit aqua, edic, qua ratione, ne quid in tanto itinere aut vitii contra-

hat, aut ſaporis amittat, aſſequi poſſimus. Euras. Ducitur aut forma ſtructili, aut plumbeis fiſtulis, aut canalibus ligneis, aut fictilibus tubis. Si per formam ducetur, ſolidandus eſt canalis, ne per rimas aqua poſſit elabi, cujus magnitudo pro aquæ menſura facienda eſt. Si per planum veniet inter ſexagenos, vel centenos pedes ſenſim reclinetur ſtructura in ſesquipedem, ut vim poſſit habere currendi. Si quis mons interjectus occurrerit, aut per latera ejus aquam ducemus obliquam, aut ad aquæ caput ſpeluncas librabimus, per quarum ſtructuram perveniat. Sed ſi vallis ſe interferat, erectas pilas vel arcus usque ad aquæ juſta veſtigia conſtruemus, aut plumbeis fiſtulis clauſam dejici patiamur & explicata valle conſurgere. *Pallad. L. IX. c.* 9. Urb. Laudo ego plumbeas has fiſtulas. Euras. Perpetuum profecto opus & quo ad ſalientes fontes arcendosque ab aquis æſtivos calores nihil aptius, atque in antiqua illa Roma fere nihil pretioſius, cum, Strabone teſte, unaquæque domus propemodum haberet fiſtulas & canales, quibus aquam induceret; ut nuper quidam ſcripſerit, ex illo plumbo novam Romam poſſe excitari. Sed, ut obſervat Vitruvius *L. VIII. c.*7. minime fiſtulis plumbeis aqua duci videtur, ſi volumus eam habere ſalubrem. Hæ enim aquas noxias reddunt; nam ceruſſa plumbo creatur attrito, quæ corporibus nocet humanis. *Pallad. l. l.* Præfert propterea tubulos fictiles, ſeu ex teſta, quod ſaporem meliorem aut tribuant, aut conſervent, & ſumptu minori ducantur. A fonte duci fictilibus tubis utiliſſimum eſt, ſcribit Plinius *L. XXXI. S.* 31. craſſitudine binum digitorum, commiſſuris pyxidatis, ita ut ſuperior intret, calce viva ex olea lævigatis. Nos hodie minore tum ſumptus tum valetudinis periculo tubulis ligneis utimur. Urb. Ex qua arbore? Euras. Pinus, piceæ, alni ad aquarum ductus in tubos cavantur; obrutæ

rutæ terra plurimis durant annis: eædem ſi non integantur, cito ſeneſcunt; mirum in modum fortiores, ſi humor extra quoque ſuperſit. *Plin. L. XVI. S.* 81. Apud nos tubuli ex larice & tæda rubra cavati longiſſimam ætatem ferunt. Urb. Quid vero formæ illæ ſtructiles, quibus aquæ a Romanis ducebantur? Euras. Hi, cum aquarum abundantia non ſolum ad potum, ſed ad balnea, ad publicos fontes, ad hortos, ad fullonicas, ad circos requireretur, fornicibus lateritiis non fontes aut rivos, ſed fluminum alveos inducebant in urbem, ut propterea Plinius *L. XXXVI. S.* 24. ſcripſerit: ſi quis diligentius æſtimaverit aquarum abundantiam in publico, balneis, piſcinis, domibus, euripis, hortis ſuburbanis, villis, ſpatioque advenientis aquæ extructos arcus, montes perfoſſos, convalles æquatas, fatebitur, nihil magis mirandum fuiſſe in tota orbe terrarum. De Claudio certe idem Plinius *l. l.* & Suetonius *in Claud. c.* 20. narrat, eundem ad Ficinum lacum emittendum per tria paſſuum millia, partim effoſſo monte, partim exciſo, poſt undecim annos canalem ægre abſolviſſe, quamvis continuo triginta hominum millia ſine intermiſſione laborarent; quæ neque concipi animo, niſi ab iis, qui videre, neque humano ſermone enarrari poſſunt. Atque adeo non male Julius Frontinus, ipſus olim aquarum curator, dixit: magnitudinis Romani imperii formas has, ſeu aquarum ductus præcipuum eſſe indicium. Tuum autem Tuſculum, Urbane, latericiis his fornicibus non indiget. Sed cum aqua jam effluxerit hodie, cras cætera abſolvemus.

DIALOGUS X.

DE
IIS, QUÆ EXTRA FUNDUM SUNT.

ARGUMENTUM.

I. *Via commoda ad villam voluptati ſervit &*	V. *Incommoda ex malo.*
II. *Utilitati:*	VI. *De oppido.*
III. *Non tamen via publica.*	VII. *De flumine.*
IV. *Comoda ex bono vicino &*	VIII. *De operariis.*

URBAN. Vadimonium deſeruiſti heri, Philomuſe, & quid erat cauſæ? PHILOM. Quia de aqua vobis ſermo fuit. URB. Haud erat, ut naufragium facere timeres. PHILOM. Timebam non timore naufragii, ſed quoniam aquam bibens nihil boni pariet; etenim

Nulla placere diu, neque vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus.

URB. Non arida eſt poetarum vena etiam cum de fontibus loquuntur. PHILOM.

Poſſum nil ego ſobrius: bibenti
Succurrunt mihi quindecim poetæ.

Et quo de negotio vobis hodie ſermo ſeritur? EURAS. Cum in villam nos evocaverit Urbanus, itineris moleſtias disquiſitione eorum, quæ extra fundum ſunt, cujus appendices vehementer pertinent ad culturam propter affinitatem, *Varr. L. I. c.* 16. non injucundo ſermone fallamus. URB. Quæ illa?

I. *Via commoda ad villam voluptati ſervit*

EURAS. Primum id, quod pedibus terimus, via bona eſt, cujus ſolicite nos admonet Cato *c.* 1. via bona, celebrisque. URB. An via hæc, quæ ducit ad prædium, non bona videtur?

tur? EURAS. Optima, & fere ad Romanum genium, qui vias in urbe ſternebant ſilice, extra illam glarea ſubſtruebant. *Liv. XLI. c. 27.* PHILOM. Hinc Tibullus:

Namque opibus congeſta tuis hic glarea dura
Sternitur: hic apta jungitur arte ſilex.

URB. Gaudeo, vos tandem non ad curandam tantum œconomiam, ſed ad commoditatem etiam voluptatemque reſpexiſſe. EURAS. Ego ejusmodi opera non tam ad commoditatem voluptatemque, quam potius ad utilitatem refero, velut Dionyſius Halicarnaſſæus *L. VIII.* teſtatur, Romanos ad impendii ſumptuumque modum in parandis viarum munitionibus reſpexiſſe, ut ex iis etiam imperii opes tam provenerint, quam eluxerint. URB. Qua ratione ad impendii ſumptuumque modum mihi privato? EURAS. Multum ſane confert prædio iter commodum. Primum, quod eſt maximum, ipſam præſentiam domini, qui libentius commeaturus ſit, ſi vexationem viæ non reformidet, *Col. L. I. c. 2.* nihil enim illi magis ad tædium & fatigationem ac via triſtis & aſpera: cujus tamen oculi & veſtigia res agro ſaluberrima. *Col. L. IV. c. 18.* Deinde ad invehenda & exportanda utenſilia, quæ res frugibus conditis auget pretium & minuit impenſas rerum invectarum; quia minoris apportentur eo, quo facili niſu perveniatur. Nec nihil eſſe etiam parvo vehi, ſi conductis jumentis iter facias, quod magis expedit, quam non tueri propria. Servos quoque, qui ſecuturi patremfamilias ſint, non ægre iter pedibus ingredi. *Col. L. I. c. 3.* Varro talium ſumptuum rationem habens eundem fundum, inquit, fructuoſiorem faciunt vecturæ, ſi viæ ſunt, qua plauſtra agi facile poſſint. *Varr. L. I. c. 16.* Prius itaque, circumſpicias, quos evectus habeat ad exportanda, quæ pecunia mutanda ſunt & foras danda, uti eo cum introeas, uti inde exiri poſſit. *Cat. c. 1.* PHILOM. Pro-

II. & *Utilitati.*

Provide, ne tibi contingat, quod capro apud Phædrum *L. IV.* 8. nam

Cum decidiſſet vulpes in puteum inſcia,
Et altiori clauderetur margine,
Devenit hircus ſitiens in eundem locum:
Simul rogavit, eſſet an dulcis liquor
Et copioſus. Illa fraudem moliens,
Deſcende amice! tanta bonitas eſt aquæ,
Voluptas ut non poſſit ſatiari mea.
Immiſit ſe barbatus. Tum vulpecula
Evaſit puteo, nixa celſis cornibus;
Hircumque clauſo liquit hærentem vado.

Habes viarum non voluptatem tantum, ſed etiam uſum: quæ niſi viantibus nobis tam grata & apta foret, & feriorum & jocorum nos materia defeciſſet. URB. Apta quidem his commodis hæc eſt via: publica tamen haud eſt. EURAS. O quam bene! qua enim magis via irrepunt vitia, quam publica? *Plin. L. XXXVI. S.* 1. Quapropter Columella *L. I. c.* 5. recte monet: oportet nec junctam militarem viam; ut nempe villa tuta ſit a vi & vitiis, quibus raro abſtinent, qui bella velut ſcelerum confugium ſequuntur & inde ſibi coronam quærunt. Quamvis vero hodie ad antiquos mores inſtaurata ſit militum diſciplina, ut violenti & feroces in hoſtes tantum eſſe jubeantur; aliud tamen adhuc eſt, ob quod averſamur viam publicam: hæc prætereuntium viatorum populationibus, & aſſiduis divertentium hoſpitiis infeſtat rem familiarem. *Col. l. l.* PHILOM. Nam ut Plautus *Curcul.* Act. I. 1. alia quidem acceptione, dixit:

III. *Non tamen via publica.*

Nemo ire quemquam poplica prohibet via,
Dum ne per fundum ſeptum facias ſemitam.

URB.

Urb. Hoſpitis tamen habenda eſt cura. Philom. O te Jovem Hoſpitalem! non te latet, quod Pindarus *Olymp.* 8. Græco carmine cecinit:

Nam divis reverendus & immortalibus ille eſt,
Quicunque appulerit multis erroribus actus,
Nunc uti ego.

Euras. Nec omnes ejicio, nec admitto; ſæpe enim & hoſpes indigenam ejicit: ſæpe rebus adverſis ſuperveniens gratus, ſæpe & gravis eſt; hinc Euripides *in Alceſt.*

\- - - - an non mihi jure optimo
Inviſus hoſpes, qui in malis advenerit?

Eorum quidam quo plus ſunt poti, plus ſitiuntur. Poteſt autem quidquam eſſe abſurdius, quam quo minus viæ reſtat, eo plus viatici quærere? *Cicer. de ſeneſt.* Sed ne de via deflectamus ad ſemitam, Columellæ ſolum tibi cordi eſſe monitum cupio: ne nimis infeſtetur res familiaris, ſive hoſpes ſeſe invitans ille ſit, ſive invitatus; quamvis hunc inter & illum magna ſit differentia: multum enim apparatus intereſt apud invitatum hoſpitem & oblatum; hujus enim venter quotidiano ac frugali victu contentus eſſe jubetur: ille vero lautam & oppiparam expectat menſam. In quo hoſpitalitatis officio gradum & ordinem ſecundum mores populi Romani ſervandum eſſe duco: primum juxta parentes locum tenebant pupilli fidei tutelæque noſtræ crediti: ſecundum eos proximum locum clientes habebant, qui ſe ſe itidem in fidem patrociniumque noſtrum dederunt: tum in tertio loco hoſpites: poſtea cognati affineſque. *A. Gell. Noct. Attic. L. V. c.* 10. Præter viam, agrum paraturos ante omnia intueri oportet - - & vicinum. Singula magnas interpretationes habent, nec dubias - - Et inprimis Catonis humaniſſimum utiliſſimumque, ut diligant vicini. Cauſas reddit ille, nos exiſtimamus nulli eſſe

IV. *Commoda ex bono vicino*

eſſe dubias. *Plin. L. XVIII. S. 6. & ſeq.* Hinc Virgilius:

Sis bonus, o, felixque tuis.

Catonis *c.* 4. monitum eſt: vicinis bonus eſto: familiam ne ſiveris peccare. Cujus rei rationem affert Plinius *l. l.* Cato, inquiens, in conterminis hoc amplius æſtimari jubet, quo pacto niteant: in bona enim regione bene nitent. Ad quod proin animum advertere jubemur, atque a bono vicino & fidelius & liberius licebit explorare. Itaque de familiæ magnitudine & reliquo inſtrumento commodiſſime ſcies, quantum pares, ſi tria animadverteris diligenter: in vicinitate prædia cujusmodi ſint, & quanta, & quot quæque hominibus colantur, & quot additis operis, aut demtis melius & deterius habeas cultum. *Varr. L. I. c.* 18. Alia commoda ex boni vicini neceſſitudine provenientia Cato *c.* 4. prodit: facilius tua vendes, inquit: opera facilius locabis: operarios facilius conduces: ſi ædificabis, operis, jumentis, materia adjuvabunt: ſi quid uſu venerit, benigne defendent. Quibus nos commonefacit, quantum emolumenti poſitum in vicino bono propter officia mutua & quotidianam conſuetudinem. Sunt enim quædam officia, ſcribit Cicero *L. I. Offic.* quæ aliis magis, quam aliis debeantur; ut vicinum citius adjuveris in fructibus percipiendis, quam aut fratrem, aut familiarem: ut propterea Themiſtocles prædium venditurus hoc quoque per præconem addi juſſerit & promulgari, quod etiam vicinum bonum habeat. *Plutarch. in Apopht. c.* 38. Urb. Optarem etiam vicinum habere locupletem: ſed tamen magis, ut ipſe domi habeam, ſecundum illud: precare vicino ut habeat, magis tamen ollæ. Ita enim eſt ingenium meum, ut emere malim, quam rogare: & beneficium reddere, quam accipere: neque enim levi mercede emit, qui precatur: aut parvum pretium accipit, qui rogatur. Euras. Tu igitur ſemper rebus omnibus

bus adeo abundabis, ut vicini auxilio nunquam indigeas, nunquam verearis maleficia? Cn. Pompejus tamen ille nunquam, agrum mercatus eſt conterminum, *Plin. l. l.* ſuſpicor, ne aut bonam viciniam amitteret, aut acquireret, ut vulgo dicitur, ſalſuginoſam, Urb. Hæc commoda & incommoda ſingulis fere annis cum vicino vertuntur. Euras. Prævenit objectationem hanc Columella, dum ait: de vicini commodo non eſt quidem certum, quem non nunquam mors, aliæque nobiscum diverſæ cauſæ mutant. Et ideo quidam reſpuunt Catonis ſententiam, qui tamen multum videntur errare; nam quemadmodum ſapientis eſt, fortuitos caſus magno animo ſuſtinere, ita dementis eſt, ipſum ſibi malam facere fortunam, quod facit, qui nequaquam vicinum ſuis numis parat, cum a primis cunabulis, ſi modo liberis parentibus eſt oriundus, audiiſſe potuerit:

οὐδ᾽ ἀν βους απολοιτ᾽ ει μη γειτων κακος ειη.

id eſt: ſed neque bos unquam periret, niſi quis malum vicinum haberet. Quæ verba Heſiodus boni vicini commoda laudaturus dixit, ad Cumanorum Æolidem incolentium reſpiciens conſuetudinem, qua vicini contra fures latronesque communi conſilio arma capiebant & expilatis ſuccurrebant. Quod non ſolum de bove dicitur, Columella ſcribit, ſed etiam de omnibus partibus rei ruſticæ familiaris, adeo quidem, ut multi prætulerint carere penatibus, & propter injurias vicinorum ſedes ſuas profugerint. Affert dein exempla plurimarum gentium, quæ patrium ſolum non alia ratione mutarunt, ac quia malos vicinos ferre non potuerant. Ne vero vicinum ſuum nominare cogatur, qui nec arborem prolixiorem ſtare noſtræ regionis, nec inviolatum ſeminarium, nec pedamenti quidquam adnexum vineæ, nec etiam pecudes negligentius paſci ſinit, rem paucis expedit, jure, inquiens,

V. *& incommoda ex malo.*

De Re Ruſtica.

M. Porcius talem peſtem vitare cenſuit, & inprimis futurum agricolam præmonuit, ne ſua ſponte ad eam perveniret. *Col. L. I. c.* 3. Hinc & Varro *L. I. c.* 16. dixit: refert, infeſta regio ſit, nec ne: multos enim agros egregios colere non expedit, propter latrocinia vicinorum. PHILOM. Operæ pretium me facturum reor, ſi afferam cæteros in hanc rem Heſiodi verſus Latine redditos *L. Opera & dies.*

Si qua domi inciderit tibi res, tunc illico omiſſis
Adſunt vicini Zonis, cinguntur at ipſi
Affines: noxa eſt vicinus ut improbus ingens.
Contra ita maxima commoditas, ſi commodus adſit.
Deeſt honor huic, bona quem vicinia deficit: at nec
Intereat bos, ni vicinus ubi improbus adſit.

Videtur & alluſiſſe in ſuis eclogis Virgilius, cum cecinit:

Nec mala vicini pecoris contagia lædent.

Et iterum:

Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ.

URB. Liber eſt animus ab omni periculo injuriæ. EURAS. An etiam terra, quam colis? in qua conterminos pellimus furtoque vicini ceſpidem noſtro ſolo adfodimus. *Plin. L. II. S.* 68. Vide ne experiaris illud Plautiniani ſenis vetus verbum. *Mercat. IV.* 4.

Aliquid mali eſſe propter vicinum malum.

Refert etiam, ut recte Varro *l. l.* monuit, ad fructus, quemadmodum vicinus in confinio conſitum agrum habeat; ſi enim ad limitem quercetum habet, non poſſis recte ſecundum eam ſilvam ſerere oleam, quod usque eo eſt contrarium natura, ut arbores non ſolum minus ferant, ſed etiam fugiant, ut introrſum in fundum ſe inclinent, ut vitis adſita ad olus facere ſolet. Ut quercus, ſic juglandes magnæ & crebræ finitimæ fundi oram faciunt ſterilem. Ita & in omnibus aliis malo vicino

cino nunquam deerit, quin tibi peſſimus eſſe poſſit. Poſt hæc Cato inter prima ſpectari jubet, ut operariorum copia prope ſit, oppidumque validum, ut navigiorum evectus vel itinerum. *Plin. L. XVIII. S.* 6. Igitur oppidum validum prope fiet. *Cat. c.* 1. Urb. Cur iſtud? ſodes, ediſſere. Euras. Rationem reddit uberrime Varro: ſi quo neque fructus noſtros exportare expediat, neque inde, qua opus ſunt apportare - - - ſi viæ, aut fluvii, quæ portentur, aut non ſunt, aut idonei non ſunt - - quæ vicinitates evectus habent idoneos, quæ ibi naſcuntur, uti vendant & illinc invectus opportunos ad ea, quæ in fundo opus ſunt, quod propterea ſunt fructuoſa. Multi enim habent in prædiis quibus frumentum aut vinum aliudve quid deſit importandum. Itaque ſub urbe colere hortos late expedit, ſic violaria & roſaria, item multa, quæ urbs recipit, cum eadem in longinquo prædio, ubi non ſit, quo deferri poſſit venale, non expediat colere. Item ſi ea oppida, aut viciniæ, aut etiam divitum copioſi agri ac villæ, unde non care emere poſſis, quæ opus ſunt in fundum, quibusque quæ ſuperſint, venire poſſint; ut quibusdam pedamenta, aut perticæ, aut arundo, fructuoſior fit fundus, quam ſi longe ſint importanda, non nunquam etiam, quam ſi colendo in tuo ea parare poſſis. *Varr. L. I. c.* 16. Duplex igitur ex frequentis oppidi vicinitate beneficium fundo noſtro accedere cenſet Varro, quod & noſtræ merces ruſticæ levi vecturæ impendio vendi, & quæ in noſtro fundo deſiderantur, facili quoque negotio poſſint comparari; cum in ejusmodi oppido nec magna rerum abundantia, nec etiam conſumptio abeſſe poſſit. Quanta autem ex vicino flumine rerum compendia obveniant, paucis notavit Seneca *de benef. L. IV. c.* 5. flumina hæc amœniſſimis flexibus campos cingentia, illa præbitura commerciis viam, vaſto & navigabili curſu vadentia. Hinc Plinius *L. XXXI. S.* 1. non male dixit, omnes terræ vires ſeu facultates eſſe quoddam aquarum

VI. *De oppido.*

VII. *De flumine.*

VIII. *De operariis.* beneficium. Eſt & illud ex vicino oppido maxime præſtabile emolumentum, quod & medici, & operariorum, & opificum manus prompta ſub manum nobis ſit, ad quos evocandos magni quandoque faciendi ſumptus abſtrahendique a labore agricolæ; aut id genus hominum pretioſorum, ut olim, conſtanter magnis impenſis alendum: aut certe morbo morteve illorum haud raro totius agricolationis curſus ſiſtitur, in qua tamen omnis mora & cunctatio ſuo non caret impendio. Hinc Romanis ſemper ſervandi opificis cura fuit, adeo ut Carthagine nova capta, licet cæteri incolæ aut in ſervitutem, aut in claſſem in ſupplementum remigum dati, opificibus tamen ad duo millia hominum ſpes propinqua libertatis facta, ſi ad miniſteria belli enixe operam navaſſent. *Liv. L. XXVI. c.* 47. Itaque in hoc genus coloni potius anniverſarios habent vicinos, quibus imperant, medicos, fullones, fabros, quam in villa ſua habeant: quorum non nunquam unius artificis mors tollit fundi fructum - - - Si enim ab fundo longius abſunt oppida, aut vici, fabros parent, quos habeant in villa. *Varr. l. l.* Inanem jam præſtarem operam, ſi commoda illa, quæ ex ipſa operariorum copia, dum frequens adjacet oppidum, recenſere velim, quos ex eo genere parandos eſſe monet Varro *L. I. c.* 17. qui laborem ferre poſſint, nec XXII. annis minores, & ad agriculturam dociles ſint, quales eſt difficile, dum forte tempeſtivus fructus præcipitat fœniſecium, meſſem, aut vindemiam, etiam quantocunque pretio ex lonquinquis locis conducere, maxime in tanta ſoli & culturæ diverſitate, ac varia regionis conſuetudine, ubi nec eadem ratio operarum haberi,nec idem modus poteſt teneri. *Plin. l. l. S.* 72. *Pallad. L. I. T.* 6. Urb. Gaudeo itaque vehementer a meo prædio nec viam, nec flumen, nec vicum, abeſſe, cujus incolæ & emphyteutico juri & jurisdictioni meæ ſubjecti ſunt: ab urbe vero, ut videtis, mediæ fere horæ ſpatio disjungor. Euras. O te beatum!

DIALO-

DIALOGUS XI.

DE
MATERIA ÆDIFICIORUM.

ARGUMENTUM.

I. *Damna ex ſilvarum excidio.*

II. *Quæ apta ædificiorum materia.*

III. *Arborum cum homine affinitas.*

IV. *Quomodo cædenda materia.*

V. *Quo anni tempore.*

VI. *An Lunæ habenda ſit ratio?*

VII. *Lunæ virtus in quibusdam aliis obſervatur.*

Urban. Et en! dum imus, dum garrimus, venimus ad villam, in quam priusquam te recipiam, exteriorem ejus faciem ut explores, dein ædes ipſas diſcutias, velim. Euras. Egone? qui in arte architectonica fere ignariſſimus. Non hujus, ſed rei ruſticæ quædam veterum ſcriptorum non inutilia præcepta me traditurum promiſi. Urb. Age igitur, & ruſtici ſaltem præceptoris munus ex antiquis illis ſubi, quos earum rerum, quæ ad prædium ruſticum pertinent, ſuſpicor non fuiſſe inſcios. Euras. Quæ me legiſſe memini, ita tecum communia faciam, ut te non tam erudire, quam rudi ac ruſtica narratione diſtinere velle videar. Dabis veniam offendenti. Urb. Extra lutum pedes habes. Euras. Sed! heu me! Urb. Quid circumſpicis? quid ſiſtes? quid gemis? Euras. Silvam exciſam & devaſtatam atque in fœcundo ſolo ac tanto ambitu raras arbores, easquè novellas tantum, & a villa remotas, cum tamen propinquas ſemper reſervari oporteret in occurrentes domeſticos uſus. An nullus ſilvæ cuſtos, qui fures abigat, capras ovesque arceat? aut an licuit con-

I. *Damna ex ſilvarum excidio.*

ductori totas ſilvas excindere & venditare? Urb. Huic quidem licebat, cum nemo prohiberet. Euras. Heu quanta jactura rei familiaris! ſi enim tam amplum prædium vivis cæduisque ſilvis deſtituitur, non ſolum dominus magnis deliciis ex aucupio & venatione, ſed & magnis commodis ex trabalibus, tignalibus, aſſamentis, ſcandulis, aſſulis, carbonibus, ſtruibus, ac ex glandibus proventuris privatur: denique etiam ſumptibus reficiendorum in villa ædificiorum, nempe in horreo, ſtabulis, tectis, nec non pro palis, ſepibus, orgiis atque aquarum canalibus conficietur. Hinc fuit & arborum cura legibus priſcis, cautumque eſt XII. tabulis, ut qui injuria cecidiſſet alienas, lucret in ſingulis æris XXV. *Plin. L. XVII. S.* 1. Urb. Plus damni & flagitii factum eſt mihi, ac credideram: ſed quid hæc ad ædificium? Euras. Maxime; vocantur enim ejus materia, quod ex iis prima hominum conſtructa domicilia; materiæ enim cauſa reliquas arbores natura genuit. *Plin. L. XVI. S.* 24. Nec tamen omnes aptæ ad ædificia: ſed quæ in montanis regionibus oriuntur & procerius adoleſcunt & diutius vivunt & cæſæ longius conſervantur, quod habeant longiores umbras & majorem ex imbre & nivibus humorum abundantiam, quoniam arbores fœtu exinanitas & foliorum quoque amiſſione languidas naturale eſt avide eſurire; cibus autem earum imber. *Plin. L. XVII. S.* 2. hinc etiam talis materia multo firmior; etenim quæcunque communia ſunt montibus plaxiſque, majora ſunt aſpectuque pulchriora in campeſtribus: meliora materie criſpioraque in montibus. *Id. L. XVI. S.* 31. Imo quæ Aquilonem reſpiciunt procerius ſolidiusque creſcunt, velut & illæ, quæ in apricis locis naſcuntur: in ipſis autem arboribus, ſcribit Plinius *l. l. S.* 76. robuſtiores Aquiloniæ partes: & in totum deteriores ex humidis opaciſque: ſpiſſiores ex apricis ac diuturnæ. Tales

II. *Quæ apta ædificiorum materia.*

Tales enim ad validioris venti impetum ſeſe firmius muniunt; non eſt arbor ſolida & fortis ſcribit Seneca *L. quar. bon. vir. mal. c.* 4. niſi in quam frequens ventus incurſat: ipſa enim vexatione conſtringitur, & radices certius figit. Et Plinius *L. XVII. S.* 2. Aquilone maxime gaudent, denſiores ab afflatu ejus lætioresque & materiæ firmioris. Habent enim arbores quamdam cum hominibus affinitatem, quorum hi in urbibus nati molles & delicatuli, montani vero duri & robuſti. PHILOM. Eſt enimvero nihil certius illo *Ovid. L. I. Metam.* III. *Arborum cum homine affinitas.*

Et documenta damus, qua ſimus origine nati.

EURAS. Hanc cum corpore animantis comparationem deſcripturus Plinius *L. XVI. S.* 72. ait: humor & cortici arborum eſt, qui ſanguis earum intelligi debet - - atque in totum corpori arborum, ut reliquorum animalium, cutis, ſanguis, caro, nervi, venæ, oſſa, medullæ: pro cute cortex - - proximi plerisque adipes: ii vocantur a colore alburnum: mollis ac peſſima pars ligni, etiam in arbore facile putreſcens, teredini obnoxia, quare ſemper amputabitur. Subeſt huic caro, cui oſſa, id eſt materiæ optimum - - Nec omnibus adipes carnesve largæ, ſicuti nec animalium acerrimis - - Oſſa non habent ſorba, carnem ſambuci, & plurimam ambæ medullam - - In quarumdam arborum carnibus pulpæ venæque ſunt. Diſcrimen earum facile: venæ latiores candidioresque pulpæ fiſſilibus inſunt; ideo fit, ut aure ad caput trabis, quamlibet prælongæ, admota, ictus ab altero capite vel graphii ſentiatur, penetrante rectis meatibus ſono. Unde deprehenditur, an torta ſit materies nodisque conciſa. Quibus ſunt tubera, ſic ſunt in carne glandia. *Plin. l. l.* Ex hac ipſa cum animatis affinitate recte conficitur, infœcundas fœcundis firmiores eſſe, ſilveſtres omnisque humani cultus expertes robuſtiores hortenſibus & ſativis (etenim, quod non humana ope provenit,

nit, materiæ eſt magis aptum. *Col. L. de arbor. c.* 1.) ex fertilibus ſerotinas ſuperare præcoces, & quæ acutæ præſtare dulcibus: ex acutis vero & aſperis potiores, quæ fructus acerbiores proferunt & rariores: quæ minus medullæ alunt, plus habent roboris & firmitatis. Nec novellæ ad materiem, nec veteres utiliſſimæ. *Plin. L. XVI. S.* 74. Urb. Magnum quoque momentum in eo poſitum eſſe ferunt, quomodo & quo tempore arbores ſternantur; quoniam & ſapientiſſimum Regum Salomonem ad excitandum templum a rege Tyri Hira petiiſſe legimus *Paral. L. II. c.* 2. *ut mittat ſervos, qui noverint cædere ligna.* Euras. Res hæc in præſenti foro vertitur: primo itaque non nulli detruncatæ arbori caput relinquunt integrum, ut in id ſuccus ſeſe & humor recipiat: alii arborem ad mediam medullam incidunt, altero dimidio cum arbore ſtante relicto, quamdiu per vulnus humor ille ſtillabit & depluet, qui in arbore emoriens ſaniem quamdam & putorem generat: eo autem dilapſo proſtrata arbor nullam ſenectutem admittat. *Plin. l. l. Pallad. L. XII. T.* 15. Frondibus quoque aut ramis denudanda eſt arbor, ut circumquaque exucta operi fidelius ſerviat. An vero illud nihil vanitatis habeat, dum dicunt, arbori, quæ cædatur, adalligata amphisbæna non algere cædentes, faciliusque ſuccidere, *Plin. L. XXX. S.* 25. dubito vehementer: ego certe lignatorem, qui algeret, parum laboris inſumpſiſſe judicarem. Cæſas arbores per rores trahi, neſcio qua religione ductus Cato *c.* 31. prohibet: an cæſas velut putredine infici timet? viventes certe lentis roribus quadam ſcabie vitiari affirmant. *Plin. L. XVII. S.* 37. Trahis igitur advectæ primo vere exaſciantur, in ſtruem ſuppoſitis ſingulis ligneis culcitellis, ut Auſtralibus ventis exiccentur: colliguntur ac aſſeribus teguntur, ne aut ſubito ſolis æſtu ferveſcant, aut a pluviis putredinem contrahant;

IV. *Quomodo cædenda materia.*

hant; denſari enim ac maturam adipiſci firmitatem per unum, alterumve annum debent, quam ad opus accommodentur. Urb. Materiam collegiſti, priusquam tempus cædendi præfinires. Euras. Avidius interrogas, ac ut reſponſo te aſſequi valeam. Arbores igitur, quæ ad interetes & rotundos uſus deſtinatæ, tempeſtive & dum germinant cædendæ, cortice alias inextricabili: cætera vero ad ædificia tigna, quibus ſecuris aufert corticem, a bruma ad Favonium, ſeu a Calend. Decemb. ad VI. Id. Febr. aut ſi prævenire cogamur, Arcturi occaſu, & ante eum Fidiculæ: noviſſima ratione ſolſtitio. Vulgo ſatis putant obſervare, ne qua dedolanda arbos ſternatur ante editos ſuos fructus. Robur vere cæſum teredinem ſentit: bruma autem neque viatur, neque pandatur, alias obnoxium etiam, ut torqueat ſeſe ſindatque. *Plin. L. XVI. S.* 74. Vere ſiquidem omnes arbores vim vigoremque in frondes anniverſariosque fructus exerentes humore turgeſcunt: dum vero per autumnum maturitate fœtuum frondes emoriuntur, ſuccus e terra in radices deſcendens robori ſuo ac datæ a natura ſoliditati reſtituit, hiberno frigore adſtringente & comprimente. Vere enim omnes arbores fiunt prægnantes, ſcribit Vitruvius *L. II. c.* 9. & omnes ſuæ proprietatis virtutem efferunt in frondes anniverſariosque fructus: cum ergo inanes & humidæ temporum neceſſitate fuerint, vanæ fiunt & raritatibus imbecillæ; uti etiam corpora muliebria cum conceperint, a fœtu ad partum non judicantur integra: neque in venalibus ea, quæ ſunt prægnantia, præſtantur ſana; ideo quod in corpore præſeminatio creſcens ex omnibus cibi poteſtatibus detrahit alimentum in ſe, & quo firmior efficitur ad maturitatem partus, eo minus patitur eſſe ſolidum idipſum ex quo procreatur. Philom. Nulla ſimilitudo huic ſimilior. Euras. Cato vero, quem primo loco nomi-

V. *Quo anni tempore.*

nare oportuiſſet, univerſim ſtatuit: robur, materies item pro ridica, ubi ſolſtitium fuerit ad brumam, ſemper tempeſtiva eſt. Cætera materies, quæ ſemen habet, cum ſemen maturum habet, tum tempeſtiva eſt. Quæ materies ſemen non habet, cum glubebit, tum tempeſtiva eſt. Ea quæ ſemen viride & maturum habet, uti ſemen de cupreſſo, de pino, quidvis anni legere poſſis. *Cat. c.* 17. Urb. Huic ſoli, nullis aliis obſervationibus obtemperandum autumas? Euras. Infinitum refert & lunaris ratio: nec niſi a viceſima in triceſimam cædi volunt. Inter omnes vero convenit, utiliſſimum in coitu ſterni, quem diem alii interlunii, alii ſilentis Lunæ appellant. *Plin. l. l.* Ubi hanc temporis rationem præfiniviſſe aſſerit Tiberium Cæſarem, cum ad reſtituendum pontem naumachiarium larices in Rhætia cædi juberet: cum & ipſe in capillo tondendo ſervaret interlunia: & M. Varro adverſus defluvia id obſervari præciperet a pleniluniis: & Cato hominum ſummus in omni uſu de materiis hæc adjiceret: hanc atque aliam materiam omnem, cum effoderis luna decreſcente, eximito - - - niſi intermeſtri Lunaque dimidiata ne tangas materiam. *Plin. l. l.* Re ipſa etiam præceptum iſtud a Catone traditum in præſens *cap.* 31. & 37. legimus: & ab antiquis obſervatum fuiſſe eorum produnt teſtimonia: ſic enim & Columella *L. IX. c.* 2. ſenſit: nec minus in ædificiis ſuccidere arborem convenit: ſed utraque melius fiunt Luna decreſcente ab vigeſima usque in trigeſimam; quoniam omnis materia ſic cæſa judicatur carie non infeſtari. Et Palladius *L. II. T.* 22. hoc etiam menſe cædenda materies eſt ad fabricam, cum Luna decreſcit. Philom. Haud mirum veteres ſuperſtitioſæ hujus opinionis fuiſſe, cum & Lunæ divinitatem aſſererent, velut Jovem patrem, Tellurem matrem, qui omnes fructus agriculturæ cœlo & terra continent, compellabant, & eodem errore ducti

VI. *An lunæ habenda ſit ratio.*

Solem

Solem & Lunam, cum quædam feruntur, eorumque tempora conſulebant. *Varr. L. I. c.* I. EURAS. Merito ridemus eos, qui omnia agriculturæ opera tam ſuperſtitioſa ſolicitudine ad curſum Lunæ dirigunt, ut non conſulto ejusdem afflatu & motu nihil eorum ſuſcipiant (qua de re alias redibit ſermo) nec tamen propterea Lunæ divinitatem tribuo; quod dicam, eam in non nullis vim quamdam habere & virtutem, ut, cum pleniſſimum a Sole lumen accipit, quædam majori humore turgeſcant, &, cum exiguo cornu fulget, ſeſe contrahant. Nec enim, ut Philomuſi objectationi reſpondeam, aut Jovem, aut Junonem, aut Tellurem, aut Apollinem colimus, quod ætheri, telluri & Soli nos plura debere profiteamur. An enim arbores illæ non lætius florent, quærit Varro *L. I. c.* 7. quas æquabiliter ex omnibus partibus Sol ac Luna coquunt? His igitur cœleſtem quamdam nomenclaturam, ut ait Plinius *L. II. S.* 5. interpretatione naturæ, ſeu per quamdam ſignificationem vis & poteſtatis in hæc terrena tribuerunt; unde Euripides apud Ciceronem *L. II. de nat. deor.*

> Vides ſublime fuſum immoderatum æthera
> Qui terram tenero circumjectu amplectitur?
> Hunc ſummum habeto divum, hunc perhibeto Jovem.

Et Virgilius *L. II. Georg.*

> Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
> Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
> Magnus alit, magno commiſtus corpore, fœtus.

Aer autem - - interjectus inter cœlum & mare Junonis nomine conſecratur, quæ eſt ſoror & conjux Jovis, quod & ſimilitudo eſt ætheris & cum eo ſumma conjunctio. Effœminarunt autem eum, Junonique tribuerunt, quod nihil eo

mollius - - Jam Apollinis nomen eſt Græcum, quem Solem eſſe volunt. Dianam autem & Lunam eandem eſſe putant, cum ſol dictus ſit, vel quia ſolus ex omnibus ſideribus eſt tantus - - - Luna a lucendo nominata ſit. *Cicer. l. l.* Lunam igitur obſervabant, quod potens in hæc corpora, aliis quidem amica, aliis inimica ſit: horum humores ſuo motu commovens, ut ea creſcente augeantur, & decreſcente minuantur. Urb. Quænam illa, quæ, ſed indubitata fide, creſcant, aut decreſcant? Euras. Ut alia prætereram, oſtreas, conchyliaque appello, quibus iſthæc eventa auctoritate ſumma & conſtanti experientia aſſeruntur: oſtreis & conchyliis omnibus contingere, ſcribit Tullius *L. II. de divin.* ut cum Luna creſcant pariter, pariterque decreſcant. Et Horatius *L. II. Sat.* 4.

VII. *Lunæ virtus in quibusdam aliis obſervatur.*

Lubrica naſcentes implent conchylia Lunæ.

Jam quidem lunari poteſtate oſtrearum conchyliorumque & concharum omnium corpora augeri ac rurſus minui. Quin & ſoricum fibras reſpondere numero Lunæ, exquiſivere diligentiores: minimumque animal formicam ſentire vires ſideris interlunio ſemper ceſſantem. *L. II. S.* 41. Quo vera conjectatio exiſtit, haud fruſtra ſpiritus ſidus Lunam exiſtimari. Hoc eſſe, quod terras ſaturet, accedensque corpora impleat, abſcendens inaniat; ideo cum incremento ejus augeri conchylia & maxime ſpiritum ſentire, quibus ſanguis non ſit. *Id. l. l. S.* 102. Id ipſum obſervatum a Palladio *L. XIII. T.* 6. ubi ſcribit: nunc etiam quibus littus in fructu eſt, ubi Lunæ juvabit augmentum, quæ omnium clauſorum maris animalium atque concharum jubet incremento ſuo membra turgere. Paulo fuſiori narratione hanc experientiam proſequitur A. Gellius *L. XX. c.* 7. 'cum enim cænantibus nobis, inquiens,

inquiens, magnus oſtrearum numerus Roma eſſet miſſus, eæque inuberes ac macræ viderentur; Luna, inquit Annianus, nunc videlicet ſeneſcit, ea re oſtrea quoque ſicuti alia quædam tenuis exuctaque eſt. Et cum quæreretur, quænam alia ſeneſcente Luna tabeſcerent, illum affert Lucilii verſum:

> Luna alit oſtrea & implet echinos, muribus fibras
> Et pecu addit.

Eadem autem ipſa, quæ creſcente Luna gliſcunt, eadem deficiente deficere afferens, velut & ælurorum oculos ad easdem Lunæ vices aut ampliores fieri, aut minores. Quam in rem commentarium Plutarchi in Heſiodum adducens ait: cœpetum revireſcere & congerminare decedente Luna: contra autem inareſcere adoleſcente: eamque cauſam eſſe dicunt ſacerdotes Ægyptii, cur Peluſiotæ cœpe non edant, quia ſolum olerum omnium contra Lunæ aucta atque damna vices minuendi & augendi habet contrarias. Nec de his tantum, ſed & aliis animantibus, immo de homine quoque varios effectus afferunt: quo turpior homini inſcitia eſt, fatenti præcipue jumentorum quorundam in oculis morbos cum Luna increſcere ac minui. *Plin. L. II. S.* 41. veluti veterina tantum quædam ad crementa Lunæ morbos ſentiunt. *Id. L. XI. S.* 55. De quibus Vegetius *Art. veterin. L. III. c.* 33. ſcribit: quadam ratione lunari animalia, ſicut homines frequenter corruunt & intermoriuntur. De homine autem ſingulariter notat Plinius *L. II. S.* 41. ſanguinem hominum cum lumine ejus augeri ac minui in omnia eadem penetrante vi. Quod ipſum etiam Jul. Firmicus obſervavit *L. IV. præf.* ſcribens: nam & creſcentis Lunæ augmenta in corporibus noſtris & deficientis luminis damna ſentimus; medullæ enim humani

corporis cum Luna creſcunt: cum vero inanis ea perit luminibus deſtitui, tenuati corporis fatigatione langueſcunt. Et ut nil dicam de hominibus, qui ad hoc Lunæ imperium aut vultu intumeſcunt, aut de mente deturbantur, omnia maria non ſolum plenilunio purgantur, *Plin. L. II. S.* 101. verum & tam menſtruus quam quotidianus æſtus maris virtute hujus ſideris aut accedentis aut recedentis, nec aliter poteſt commodius explicari: neque enim mare tantum ita intumeſcit & decreſcit, ſed quælibet aqua nitro & ſale mixta, dum radiis Lunæ exponitur, ebullit & ferveſcit. Hæc igitur ſi vera ſint, haud alienum a ratione videbitur, arbores quoque, Luna ſe reficiente, multis humoribus abundare: quæ ſi his intumeſcentes cædantur, haud mirum, ſi minus idoneæ ad ædificia, quæ eo ſucco corrupto & emoriente vermibus, carie & raritatibus non poſſunt non ſcatere. Nec tamen in hac obſervatione adeo religioſus ſum, ut ad diem vel horam arboris cædendæ curam adſtrictam velim, velut apud Plinium *L. XVI. S.* 74. quidam dicunt, ut in coitu & ſub terra ſit Luna, quod fieri non poteſt, niſi noctu: aut ut credam, ſi competat coitus in noviſſimum diem brumæ, illa ſit æterna materies: ſed ſolum rationem quamdam comparationemque, adoleſcentem inter ſeneſcentemque eſſe habendam juxta illud Varronis monitum *L. I. c.* 33. ut ſi quæ ſeneſcente fieri conveniret, melius quanto minus haberet ignis id aſtrum.

DIALOGUS

DIALOGUS XII.

DE
QUARUMDAM ARBORUM USU
ET EMOLUMENTIS.

ARGUMENTUM.

I. *De abiete & picea.*	IX. *De ilice & ſubere.*
II. *De pino & pinaſtro.*	X. *De eſculo & fraxino.*
III. *De larice.*	XI. *De tilia, carpino & acere.*
IV. *De taxo.*	XII. *De populo.*
V. *De alno.*	XIII. *De ſalice.*
VI. *De betula.*	XIV. *Voluptas ex arboribus.*
VII. *De fago.*	XV. *Silvæ emolumenta.*
VIII. *De quercu & robore.*	XVI. *Unde lignorum penuria.*

Euras. Cum arboribus tam varia ſit natura ac tam diverſa conditio, ut aliæ ſub divo, aliæ in umbra valeant, aliæ indureant in aere, aliæ in aquis perennes fiant: aliæ humoris, aliæ ſolis impatientes ſint: aliæ ſuſtinendis fundamentis, aliæ levibus tantum uſibus ſerviant, earum, quas regio noſtra profert & velut familiares habemus, habilitatem ad noſtros uſus paucis explicatam dabo, ut in quæ officia ſint aptandæ, non usquequaque ignoremus. Urb. Scire iſthæc ardentiſſime geſtio. Philom. Et ego cupide cupio. Euras. I.
Abies e cunctis ampliſſima eſt & fœmina etiam prolixior: *De abiete & picea.*
materie mollior utiliorque: arbore rotundior: folio pennato denſa, ut imbres non transmittat, atque hilarior in totum. *Plin. L. XVI. S.* 19. Situs in excelſo montium ceu maria fuge-

fugerent. *Id. l. l. S.* 18. Philom. Et tamen de eadem Virgilius *L. II. Georg.*

- - - - - caſus abies viſura marinos.

nam ut Claudianus refert *L. II. de rapt. Proſerp.*

Apta fretis abies.

Euras. Et recte, quoniam hæ (larix & abies) omnium arborum altiſſimæ ac rectiſſimæ. Navium malis antennisque propter levitatem præfertur abies. *Plin. l. l. S.* 76. Materies vero præcipua trabibus & plurimis vitæ operibus. *Id. l. l. S.* 18. Nam ad fabrorum inteſtina opera medulla ſectilis: optima quadripartitis materies & mollior quam cæteræ. Intellectus in cortice protinus peritis. Abietis, quæ pars a terra fuit, enodis eſt: hæc, qua diximus ratione, fluviata decorticatur, atque ita ſapinus vocatur: ſuperior pars nodoſa duriorque fuſterna - - Pondus ſuſtinere validæ abies, larix etiam, in transverſum poſitæ. Ponderi renituntur, nec temere rumpuntur, priusque carie, quam viribus deficiunt - - Firmiſſima in tectum abies. Eadem valvarum repagulis & ad quæcunque libeat inteſtina opera aptiſſima - - Eadem & curribus, maxime ſociabilis glutino, in tantum, ut ſindatur ante, qua ſolida eſt. *Id. l. l. S.* 76. *& ſeq.* Abies maſcula, ſeu, niſi mea me fallat opinio, picea etiam dicta, abieti adeo ſimilis, ut peritos etiam fallat, ſed diverſa materies, quæ abieti pulcherrima, piceæ ad fiſſiles ſcandulas cupasque & pauca alia ſecamenta. *Id. l. l. S.* 18. Montes amat atque frigora: feralis arbor & funebri indicio ad fores poſita, ac rogis virens. *Ib.*

II. *De pino & pinaſtro.*

Ejusdem fere naturæ & familiæ videtur eſſe pinus, & quæ arbores ad hanc referuntur; etenim in Europa ſex genera cognatarum arborum ferunt; ex iis pinus atque pinaſter folium habent capillamenti modo prætenue longumque & mucrone aculeatum. *Plin. l. l.* Philom. Arbor celebris, quoniam pinea

pinea corona victores apud Iſthmum coronabantur. *Plin. L. XV. S.* 9. Præterea a Statio vocatur *Silv. L. V. carm.* 1.

- - - - Silvarum gloria pinus.

EURAS. Inter montes & ſaxa vaſtior & procerior invenitur. *Pallad. L. XII. T.* 15. Ad fines prædiorum defendendos ſepesque fulciendas ferunt alii circum pinos, *Varr. L. I. c.* 15. dicuntur tamen necare gramina. *Plin. L. XVII. S.* 18. Obſervat de pino Palladius *l. l.* quod, niſi in ſiccitate, non duret; cui contra celerem putredinem in Sardinia hoc genere providetur, ut excifæ trabes ejus aut in piſcina qualibet anno toto merſæ laterent: poſt operi futuræ aut arenis obruerentur in littore, ut aggeſtionem, 'qua tectæ eſſent, alternis æſtibus reciprocans fluctus allueret. URBAN. Et quid Pinaſter? EURAS. Pinaſter nihil aliud eſt, quam pinus ſilveſtris, mira altitudine, & a medio ramoſa, ſicut pinus in vertice - - - Easdem arbores alio nomine eſſe per oram Italiæ, quos tibulos vocant, plerique arbitrantur. *Plin. L. XVI. S.* 17. Ejus materies ſculptoribus ſcrinariis & arculariis ad omnia eorum opera læviganda obedientiſſima. Fructus grandiſſimus pineis nucibus, altiſſimeque ſuſpenſus, intus exiles nucleos lacunatis includit toris, veſtitos alia ferruginis tunica, mira naturæ cura molliter ſemina collocandi. *Plin. L. XV. S.* 9. Larici ſitus idem, eadem fere facies, quæ piceæ & pino, ac ejusdem fere generis, ſed materies præſtantior longe, incorrupta vis, mori contumax: rubens præterea - - tanta natalium mixtura eſt. Sed picea minus alta, quam larix: illa (larix) craſſior, leviorque cortice, folio villoſior, pinguior & denſior, molliorque flexu. Alia etiamnum generibus ipſis in ſexu differentia. Mas brevior & durior: fœmina procerior, pinguioribus foliis & ſimplicibus atque non rigentibus. Lignum maribus durum & in fabrili opere contortum: fœminæ

III. *De larice.*

De Re Ruſtica. T mol-

mollius, publico diſcrimine in ſecuribus. Hæ in quocunque genere deprehendunt marem, quippe reſpuuntur & fragoſius fidunt, ægrius revelluntur. Ipſa materies retorrida & nigrior maribus radix. *Plin. L. XVI. S.* 19. in humore præcipua - - cariem vetuſtatemque tardiſſime ſentit: namque inventum eſt pictorum tabellis immortale, nulliſque fiſſile rimis hoc lignum. *Id. l. l. S.* 73. Qui tamen ſcriptor majorem eidem re ipſa virtutem tribuit *l. l. S.* 19. dum ait, quod nec ardeat, nec carbonem faciat, nec alio modo ignis vi conſumatur, quam lapides. Quem errorem etiam tenens Vitruvius *L. II. c.* 9. ſcribit: hujus materiei ſi eſſet facultas apportandi in urbem, maximas haberi in ædificiis utilitates, cum a trajectionibus incendiorum liberarentur, quod tabulæ in ſubgrundiis ex ea nec flammam, nec carbonem poſſint recipere. Ejusdem opinionis Palladius quoque fuit *L. XII. c.* 15. Etſi enim reſiſtat ignibus, ſuccumbit tamen, ſed ſic, ut ardens cum eruptionis crepitu, flammas indignari & a ſe repellere conari videatur; propterea dixit Plinius *l. l.* laricis morbus eſt, ut teda fiat. Nec habet noſtra patria aut meliorem ad ædificia materiem, aut alia regio noſtris laricibus meliores, rubentibus ſcilicet illis, quæ ventis expoſitæ in apricis montibus naſcuntur, quales Tiberium Cæſ. in Rhætia ad reſtituendum pontem naumachiarium cædi juſſiſſe, ſupra diximus. Piceæ genus eſt etiam teda, frequens in patria noſtra & quæ in ſiccis ſolique expoſitis locis nata ad tubos aquarum & palos in humido fundo aptiſſima, & ex qua navalibus muniendis, multosque alios ad uſus, pix liquida coquitur, abundantior ſucco, quam reliqua,

IV. *De taxo.*

parciore liquidioreque, quam picea. *Plin. l. l. S.*21. Reſiniferis arboribus ſimilis etiamnum aſpectu eſt taxus, minime virens, gracilisque & triſtis ac dira, nullo ſucco, ex omnibus ſola baccifera. Mas noxio fructu - - in Arcadia tam præ-

ſentis

ſentis veneni, ut, qui obdormiant ſub ea cibumve capiant, moriantur. *Plin. l. l. S.* 20. Et apibus quidem inimicam eſſe arborem ſcribit Virgilius *L. IV. Georg.*

Neu propius tectis taxum ſine.

Noxias vero equis bobusque ejus frondes, nec hominibus ſub earum umbra quieſcendum calente ſole, nec vaſa ex lignis conficienda, quod cum vertigine temulentos reddat, etiam noſtri perhibent. Sunt, qui & toxica hinc appellata dicant venena, quæ nunc toxica dicimus, quibus ſagittæ tingantur: repertum, innoxiam fieri, ſi in ipſam arborem clavus æreus adigatur. *Plin. l. l.* Ejus præterea fumus dicitur necare mures. *Plin. L. XXIV. S.* 72. Et, quæ Claudius uno die propoſuit XX. edicta, illud etiam erat: nihil æque facere ad viperæ morſum, quam taxi arboris ſuccum. *Sueton. in Claud. c.* 16.

Alnus, quod nec fructum ferat, nec ſemen, inter infelices damnatasque religione numerabatur. *Plin. L. XVI. S.* 45. nec non, quod ejusdem umbra tum ſatis, tum piſcibus, delapſis foliis exitio eſſe credatur: ſepibus tamen munit, contraque erumpentium amnium impetus, riparum muro in tutela ruris excubat in aqua ſata cæſaque denſius innumero hærede prodeſt. *Id. l. l. S.* 67. & ut canit Virgilius *L. II. Georg.* V. *De alno.*

- - - - - Craſſisque paludibus alni
Naſcuntur.

Alnus autem, quæ proxime fluminum ripas procreatur, & minime materia utilis videtur, habet in ſe egregias rationes: etenim - - in paluſtribus locis infra fundamenta ædificiorum, palationibus crebre fixa, recipiens in ſe, quod minus habet liquoris, permanet immortalis ad æternitatem & ſuſtinet immania pondera ſtructuræ & a vitiis conſervat. Itaque non poteſt extra terram paulùm tempus durare, ea in humore obruta, permanet ad diuturnitatem. *Vitruv. L. II. c.* 9. Eſtque

que adeo in humore præcipua alnus nigra - - adacta in terram in paluſtribus alnus æterna oneriſque quantilibet patiens.

VI. *De betula*

Plin. l. l. S. 97. *Pallad. L. XII. T.* 15. Betula in hac noſtra plaga frequens ac ſuccifis pinis plerumque ſuccedens eſt dura, ſed leviſſima, tum ad varia inſtrumenta ruſtica neceſſaria, tum ſculptoribus & tornatoribus, quia cœlo obediendo facilis, tum coquis ad focum gratiſſima. Gaudet frigidis: Gallica hæc arbor mirabili candore atque tenuitate, terribilis magiſtratuum virgis: eadem circulis flexilibus, item corbium coſtis aptiſſima. *Plin. l. l. S.* 30.

VII. *De fago.*

Inter glandiferas arbores primo occurrit fagus, in ſicco utilis, humore corrumpitur. *Pallad. l. l.* Non durat arbor iſta; *Plin. l. l. S.* 14. ſed cum cerro & ſubere ideo celeriter marceſcit, quod parvam habens mixtionem humoris & ignis & terreni aeris plurimum, pervia raritate, humores penitus recipiat. *Vitruv. l. l.* Quare experientia haud probat, quod dicit Plinius *l. l. S.* 79. non improbatur & fagus in aqua. Cortex ejuſdem in magno uſu agreſtium: vaſa corbeſque ac patentiora quædam meſſibus convehendis vindemiiſque faciunt atque prætexta tuguriorum. *Plin. l. l. S.* 14. ubi etiam refert, quod ſi explorator ſucci madidi beneficio litteras incidat inſcribatque cortici tum minime apparentes, easdem eo ſiccato fieri conſpicuas. Eadem fagus ſectilibus laminis in tenui flexilis capſisque ac ſcriniis ſola utilis. *Ib. S.* 84. Cæterum minus utilis ædificiis atque carboni: dolata vitiis obnoxia eſt, quam ob rem ſolida utuntur: carbo in ærariorum tantum officinis compendio, quoniam deſinente flatu protinus emoriens ſæpius recoquitur: cætero plurimis ſcintillis. Idem e novellis melior. *Id. l. l. S.* 8. De glande non eſt hujus loci ut diſſeram. Quamvis vero fagus & cerrus celerrime marceſcant, tabulata tamen dicuntur diutiſſime durare, ſi ſtratis ſuper paleis vel ſilice humor calcis nusquam ad

tabulati

tabulati corpus accedat. *Pallad. L. I. T.* 9. Sed his fortius lignum quercus habet & incorruptius. *Plin. l. l.* durabilis, ſi terrenis operibus obruatur & aliquatenus palis. *Pallad. L. XII. T.* 15. glandibus & gallis inter ſilveſtres arbores utiliſſima ac vaſtiſſima; viſa etenim eſt annoſa quercus everſa vi tempeſtatis & jugerum ſoli amplexa. *Plin. l. l. S.* 56. Ad plurimos uſus fabrorum lignariorum, ſcriniariorum, rotariorum, tornatorum & vietorum probatiſſima, maxime ad grandia ædificia, machinarum fulcra & repagula ac ſubſtructiones aquarum dulcium (marinis enim corrumpitur) adeo ut in humido defoſſa non feneſcere dicatur. Cæterum quercus & olea tam pertinaci odio diſſident, ut altera in alterius ſcrobe depactæ moriantur: quercus vero & juxta nucem juglandem. *Plin. L. XXIV. S.* 1. cujus rationem reddit Columella *L. de arb. c.* 17. quod vermes quidam ſunt, qui in radice quercus naſcuntur & educantur, iique maxime ſemina oleæ conſumunt. Sunt autem plura quercuum genera, quæ inter robur princeps totam olim Germaniam replens, addensque frigori umbram. Littora obtinent quercus maxima aviditate naſcendi: ſuffoſſæque fluctibus aut propulſæ flatibus, vaſtas complexu radicum inſulas ſecum afferunt - - In eadem ſeptemtrionali plaga Herciniæ ſilvæ roborum vaſtitas intacta ævis & congenita mundo prope immortali ſorte miracula excedit (hæc facies antiquæ noſtræ Germaniæ fuerat). Cæterum robur tota oſſea eſt - - ſpiſſisſima ex omni materia - - ſicciſſima - - eidemque tanta duritia eſt, ut terebrari niſi madefactum non queat, & ne ſic quidem avelli clavus - - marina aqua corrumpitur - - vere cæſum teredinem ſentit: bruma autem neque viatur, neque pandatur, alias obnoxium etiam, ut torqueat ſeſe ſindatque, quod in ſubere tempeſtive cæſo evenit. *Plin. L. XVI. S.* 1. 72. *& ſeq.* Palos ex robore in ſimetis fieri

VIII. *De quercu & robore.*

IX. *De ilice & ſubere.* ſuadent, ita fore, ne innaſcantur his ſerpentes. *Varr. L. I. c.* 38. *Col. L. II. c.* 15. *Plin. L. XVII. S.* 8. Glandifera etiam eſt ilex ac tota oſſea. Secatur in laminas prætenues, colore quoque non ingrata: ſed maxime fida iis, quæ terantur, ut rotarum axibus: ad quos lentore fraxinus utilis, ſicut duritia ilex & utroque legitur ulmus. Sunt vero & parvi uſus fabrilium miniſteriorum inſignes, ideoque proditum terebris vaginas ex ilice, ulmo, fraxino utiliſſimas fieri. Ex iisdem malleos majoresque pinu & ilice. Eſt his autem major ad firmitatem cauſa tempeſtivæ cæſuræ, quam immaturæ. *Plin. L. XVI. S.* 72. & 84. Manubria optima ſunt iliginea *Colum. L. IX. c.* 2. Ilex maſcula, ſuber fœmina dicitur; eſt enim aut roboris ſpecies aut ſimilis: de quo non attinet dicere, quod inter materies ædificiorum locum non habeat; eſt enim minima arbor, glans peſſima, rara: cortex tantum in fructu, præcraſſus ac renaſcens atque etiam in denos pedes undique etiam explanatus. Uſus ejus ancoralibus maxime navium piſcantiumque tragulis & cadorum obturamentis: præterea in hiberno fœminarum calceatu. Quam ob rem non infacete Græci corticis arborem appellant: ſunt & qui fœminarum ilicem vocent: atque ubi non naſcitur ilex, pro ea ſubere utantur in carpentariis præcipue fabricis. *Plin. l. l. S.* 13. Philom. Qui in adverſis non merguntur, ſuberi comparantur a Pindaro, quo reſpexiſſe videtur Horatius de Ulyſſe loquens *Epiſt. I.*

Dum ſibi, dum ſociis reditum parat, aſpera multa
Pertulit, adverſis rerum immerſabilis undis.

X. *De eſculo & fraxino.* Euras. Eſculus, quamvis humoris impatiens, pedamentum tamen ex ea minime putreſcit, *Plin. l. l. S.* 69. *L. XVII. S.* 34. quapropter ædificiis & ridicis apta materia *Pallad. L. XII. T.* 15. & ſine fine durat. *Id. L. I. T.* 9. Sed danda eſt opera, ne commiſceantur axes eſculinis quernis, quod querni ſimul

ac

ac humorem perceperunt, ſe torquentes rimas faciunt in pavimentis. *Vitruv. L. VII. c.* 1. PHILOM. Eſculus, ex qua corona civica Jovi ſacra nectebatur, tantum radice deſcendit, quantum corpore eminet, ut ait Virgilius *L. II. Georg.*

> Eſculus inprimis, quæ quantum vertice ad auras
> Æthereas, tantum radice in tartara tendit.

EURAS. Atque inde eſt, quod vicinis agris, pinguem ſubtrahendo ſuccum, inimica dicatur. Id vitium etiam fraxino proprium: procera hæc & teres: pinnata & ipſa folio, multumque Homeri præconio & Achillis haſta nobilitata. *Plin. L. XVI. S.* 24. nam Ovidio teſte *L. X. Metam.*

> - - - - - & fraxinus utilis haſtis.

obedientiſſima quocunque in opere fraxinus, eademque haſtis corylo melior, cornu levior, ſorbo lentior. *Plin. l. l. S.* 83. Tabulata ex aſſeribus fraxinis, non ſolum ob venarum ſeriem grata oculis, ſed a carie atque cimicibus immunia dicuntur a noſtris. In tilia mas & fœmina differunt omni modo; namque & materies mari dura, ruſiorque ac nodoſa & odoratior: cortex quoque craſſior ac detractus inflexibilis. Nec ſemen profert aut florem, ut fœmina, quæ craſſior arbore, materie candida præcellensque eſt. Mirum in hac arbore, fructum a nullo animalium attingi: foliorum corticisque ſuccum eſſe dulcem. Inter corticem ac lignum tenues tunicæ multiplici membrana, e quibus vincula, tiliæ vocantur: tenuiſſimæ earum philyræ, coronarum lemniſcis celebres, antiquorum honore. Materies teredinem non ſentit. Molliſſima tilia: eadem videtur & calidiſſima: argumentum afferunt, quod citiſſime aſcias retundat. *Plin. l. l. S.* 25. & 66. Eſt tilia inter tabulares arbores pro ſculptoribus, tornatoribus & arculariis ad omnes uſus aptiſſima, velut Columella *L. XII. c.* 45. arculas fagineas aut tiliagineas, quales ſunt, in quibus veſtimenta forenſia conduntur,

XI. *De tilia, carpino & acere.*

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

duntur, ſingulariter præparari jubet ad reponenda varii generis poma. Hujus fere generis eſt acer & carpinus, quam Vitruvius *L. II. c.* 9. utiliſſimæ tractabilitatis eſſe dicit. Acer ejusdem fere amplitudinis, operum elegantia ac ſubtilitate citro ſecundum. Plura ejus generis: album quod præcipui candoris, vocatur Gallicum in transpadana Italia transque alpes naſcens. Alterum genus criſpo macularum diſcurſu, qui cum excellentior fuit, a ſimilitudine caudæ pavonum nomen accepit, in Iſtria Rhætiaque præcipuum - - Pulcherrimum vero eſt bruſcum, multoque excellentius etiamnum molluſcum, tuber utrumque arboris ejus: bruſcum intortius criſpum: molluſcum ſimplicius ſparſum. Et ſi magnitudinem menſarum caperet, haud dubie præferretur citro. Nunc intra pugillares lectorumque ſilicios aut laminas raro uſu ſpectatur. E bruſco fiunt & menſæ nigreſcentes - - Etiamnum in ſicois natæ præferuntur aquaticis, ſicut & fraxini. *Plin. L. XVI. S.* 26.

XII. *De populo.* Populi tria ſunt genera, alba ac nigra & quæ Libyca appellatur, ab aſſiduo tremulorum foliorum ſtrepitu nobis nota. Naſcitur tepido & frigido humidoque ſolo. PHILOM. Immo etiam in fluviis, ut canit Virgilius *Eclog. VII.*

> Fraxinus in ſilvis pulcherrima, pinus in hortis,
> Populus in fluviis.

EURAS. Hujus arboris materiæ temperatum humorem & modicum de terreno ineſſe advertit Vitruvius *l. l.* atque adeo ad nobiliores operas aptiſſimam, candore gratiſſimam, in ſculpturis & tornis valde tractabilem: pro ſtructuris vero limo incruſtandis, ut in ovilium, equilium, vaccilium tabulatis cœno obducendis, præ omnibus lignis utilius habetur. Ejusdem folia per ſolſtitium circumagi auctor eſt Plinius *l. l. S.* 35.

XIII. *De ſalice.* Salicis, qua nulla aquaticarum utilior - - plura ſunt genera, namque in proceritatem magnam emittunt jugis vinearum perti-

perticas pariuntque balteo corticis vincula & aliæ virgas ſequacis ad vincturas lentitiæ. Aliæ prætenues viminibus texendis ſpectabili ſubtilitate. Rurſus aliæ firmiores corbibus ac plurimæ agricolarum ſupellectili. Candidiores ablato cortice lenique tractatu vilioribus vaſis, quam ut e corio fiant: atque etiam ſupinarum in deliciis cathedrarum aptiſſimæ. Cædua ſalici fertilitas, denſior tonſura, ex brevi pugno verius, quam ramo: non, ut remur, in noviſſimis curanda arbore; nullius quippe tutior eſt reditus, minorisve impendii, aut tempeſtatum ſecurior. Tertium locum ei in æſtimatione ruris Cato attribuit, prioremque quam olivetis, quamque frumento, aut pratis: nec quia deſint alia vincula - - mirumque contuſo ligno alicui majores ad vincula eſſe vires; ſalici tamen præcipua dos. Findatur Græca rubens: candidior Amerina, ſed paulo fragilior, ideo ſolido ligat nexu. In Aſia tria genera obſervant: nigram utiliorem viminibus: candidam agricolarum uſibus: tertiam, quæ breviſſima eſt, helicen vocant. Apud nos quoque multi totidem generibus nomina imponunt: vimineam vocant eandemque purpuream: alteram nitelinam a colore, quæ ſit tenuior: tertiam Gallicam, quæ ſit tenuiſſima. *Plin. L. XVI. S.* 69. *Colum. L. IV. c.* 30. Abſit autem procul, velut fraxinus, a vinea, horto & agro, quoniam radices cum fibris late ſe diffundentibus optimum ſuccum aliis fructibus ſuffurantur, & lætius in aquis proveniunt; ſiquidem teſte Virgilio, fluminibus ſalices lætantur; hinc Cato *c.* 9. ſalicta locis aquoſis, humectis, umbroſis propter amnes ſeri oportere dixit. Sed qui conſtitui de materia ædificiorum diſſerere, neſcio, quo loquacitatis errore ad arbores ſilveſtres alias rei ruſticæ ſervientes deflexerim: ne igitur extra calcem, ut dicitur, ſermo noſter decurrens faſtidium vobis ferat, nolo longius in hanc ſilvam lignatum ire. URB. Mihi arbores,

XIV. *Voluptas ex arboribus.* quæ fructus ferunt, majori in pretio. PHILOM. Tu vero cum Minerva ſapis. URB. Cur cum Minerva? PHILOM. Rem explicatam dat Phædrus *L. III. Fab.* 17.

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua,
Divi legerunt arbores: quercus Jovi,
Et myrtus Veneri placuit: Phæbo laurea,
Pinus Cybelæ, populus celſa Herculi.
Minerva admirans, quare ſteriles ſumerent,
Interrogavit. Cauſam dixit Juppiter:
Honorem fructu ne videamur vendere.
At, mehercule, illa, narret, quod quis voluerit,
Oliva nobis propter fructum eſt gratior.
Tunc ſic deorum genitor atque hominum ſator:
O nata, merito ſapere dicere omnibus:
Niſi utile eſt, quod facimus, ſtulta eſt gloria.
Nihil agere, quod non profit, fabella admonet.

EURAS. Dabis veniam extra chorum quandoque ſaltanti. URB. Immo non darem, niſi tam jucunde aliquoties aberraretis: grata ſiquidem fuit tua narratio, qui pictis etiam ſilvarum tabellis maxime delector. EURAS. Ad Ludii igitur pictoris factus es genium; qui primus Auguſti ætate inſtituit amœniſſimam parietum picturam, villas & porticus ac topiaria opera, lucos, nemora, colles, piſcinas, euripos, amnes, littora, qualia quis optaret, varias ibi ambulantium ſpecies aut navigantium, terraque villas adeuntium aſellis, aut vehiculis. Jam piſcantes, aucupantesque, aut venantes, aut etiam vindemiantes ſunt in ejus exemplaribus. Nobiles paluſtri acceſſu villæ ſuccollatis ſponſione mulieribus labantes trepidique feruntur: plurimæ præterea tales argutiæ faceti ſſimi ſalis. *Plin. L. XXXV. S.* 37. Sin autem horum arte hominis picta imago adeo paſcit oculos, qua voluptate perfundet animum

res

res ipſa & naturæ artificiis induſtria? quis non jure miretur, arborem umbræ gratia tantum ex alieno petitum orbe? platanus hæc eſt, per mare Jonium in Diomedis inſulam, ejusdem tumuli gratia primum invecta: inde in Siciliam transgreſſa atque inter primas donata Italiæ, & jam ad Morinos usque pervecta ac tributariam etiam detinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Dionyſius prior, Siciliæ tyrannus, Rhegium in urbem tranſtulit eas, domus ſuæ miraculum, ubi poſtea factum gymnaſium - - tantumque poſtea honoris increvit, ut mero infuſo enutriantur, compertum, id maxime prodeſſe radicibus, docuimusque etiam arbores vina potare. *Plin. L. XII. S.* 3. Philom. Hinc Martialis de platano Cæſaris *L. IX. Epigr.* 62.

Ædibus in mediis totas amplexa penates
Stat platanus denſis Cæſariana comis.
Hoſpitis invicti poſuit quam dextera felix,
Cœpit & ex illa creſcere virga manu.
Auctorem dominumque nemus ſentire videtur,
Sic viret & ramis ſidera celſa petit.
Sæpe ſub hac madidi luſerunt arbore Fauni:
Sæpe ſub hac latuit ruſtica fronde Dryas.
Dumque fugit ſolos nocturnum Pana per agros,
Terruit & tacitam fiſtula ſera domum.
Atque oluere lares comeſſatore Lyæo,
Crevit & effuſo latior umbra mero.
O dilecta deis! o magni Cæſaris arbor!
Ne metuas ferrum ſacrilegosque focos.
Perpetuos ſperare licet tibi frondis honores:
Non Pompejanæ te poſuere manus.

Euras. Et ſane ſi Macrobio *L. II. Satur. c.* 9. credimus, Hortenſius platanos ſuas vino rigare conſuevit, adeo ut in

actione quadam, quam habuit cum Cicerone ſuſceptam, precario a Tullio poſtulaverit, ut locum dicendi permutaret ſecum: abire enim in villam neceſſario ſe velle, ut vinum platano, quam in Tuſculano poſuerat, ipſe ſuffunderet. Aliam in Lydia platanum adeo adamavit Xerxes, ut poſthabitis Jovis operibus eidem ſervierit, integrum diem illic cum exercitu moratus, torques, armillasque ſuſpendens, curatoremque relinquens, quaſi cuſtodem amaſiæ. *Ælian. Var. hiſt. L. II. c.* 14. Alia in Lycia tam digno miraculo, ut Licinius Mucianus ter conſul prodendum etiam poſteris putarit, epulatum intra eam ſe cum duo de viceſimo comite, large ipſa toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum, optantem imbrium per folia crepitus; lætiorem, quam marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuiſſe in eadem. *Plin. L. XII. S.* 5. URB. Et quid te celem majorum meorum inſtitutum? ſilvulam hic vides, illic vaſtiſſimam tiliam? ſub hac avus amabat ſedens lectione curas fallere & labores: in illa pater deambulando. EURAS. Has ſi arbor aut ſilva delicias, quæ putas jam poſſe parere commoda? nec enim immerito prædia, quæ vario arborum genere conſitas ſilvas habent, dicuntur pretioſiſſima, cum ex omnibus prope terræ opibus nihil ad plures uſus faciat, majoraque præſtet emolumenta, quam ſilva, ut non vana ſit Plinii *l. l. præf.* admiratio, uſu comperta, quænam qualisque eſſet vita, ſine arbore ulla, ſine frutice viventium? hinc merito *L. XII. S.* 1. ſcripſit: mille ſunt uſus illarum, ſine queis vita degi non poſſit: arbore ſulcamus maria, terrasque admovemus: arbore exædificamus tecta: ex arbore ſimulacra numinum fuere, nondum pretio excogitato, belluarum cadaveri, antequam, ut a diis nato jure luxuriæ, eodem ebore numinum ora ſpectarentur & menſarum pedes. Ex ſilvis ſiquidem hodie magno pretio comparamus

XV. *Silvæ emolumenta.*

Digitized by Google

mus materiam ad omnis generis ædificia, ad tecta, ad ſcandulas, ad palos, pedamenta, ſepimenta, ac ruſtica inſtrumenta pro vaſis, doliis, labris, ac innumera alia ad uſus arculariorum, tornatorum, diverſorumque aliorum opificum, ad focum, ad furnum, ad polentam, ad calcem lateresque coquendos: & dum hæ arbores cæduntur, aliæ denſiori progenie a ſtirpibus perpetuo ſucceſſu renaſcuntur, quarum multæ etiam ante mortem vectigal pendunt, aut ex frondibus, aut glande, aut baccis, aut reſina & lachrymis cum fœnore: aliæ equis bobusque alimenta præbent ex foliis, maxime caprino ovilloque pecori, quod potius ſilveſtribus ſaltibus delectatur, quam pratis. *Varr. L. II. c.* 3. URB. Mihi hic admiratio & quœſtio, unde hodie tanta lignorum caritas? EURAS. Ex conſumptione majori, minori ubertate, minimaque nemorum cura & cultura. A ducentis ſiquidem annis duplo major eſt incolarum numerus, ut ex tabulariis conſtat, quibuscum excrevit & ædificiorum & ſepimentorum, & focorum & furnorum & officinarum & utenſilium & ſupellectilis multitudo: in paſcua, in prata, in agros totæ ſilvæ exciſæ: aliæ inventis foſſilibus, argenti, æris, ferrique venis everſæ: aliæ pro iisdem ærariis officinis: aliæ pro coquendo ſale in perpetuum ignis alimentum conſumptæ. Quibus tot tantisque cladibus facile perſpicies univerſis prope provinciæ arboribus præmaturam accelerari mortem, ut paucæ ad ſenectutem perveniant, ſed in primo flore ſuccidantur, nulla cura, nulla venia data novellis: ſublatis etiam ad fimum ſtramentis, quæ ſunt arborum lætamen & contra frigora tegumentum, quo fit, ut ipſa etiam ſemina evertantur. Accedit, quod in campeſtri regione nulla ſint nemora, ſed omne ſolum agris pratisque excultum: montium, vero juga, olim proce-

XVI. *Unde lignorum penuria.*

ris arboribus, quarum ſuperſunt veſtigia, conſita, hodie triſti calvitie denudata atque etiam fruticibus orbata ſint, quæ aut ſeminum inopia non ſuccreſcunt, aut a caprino pecore carpuntur, aut ſævis longisque hiemum rigoribus deuruntur. Urb. An noſtra ætate hiemes aſperiores credam, quas tamen ſingulis annis rediiſſe conſtat? Euras. Non eo inficias, easdem ſemper prægelidas fuiſſe, montium tamen jugis illarum alpium, quæ perpetua glacie rigent ac fere annua nivium acceſſione magis inhorreſcunt, propinquitate graviores ipſo temporis progreſſu contingunt, cum edita montium frigidiſſimorum ventorum incremento ceu exitiali peſte plus indies devaſtari videntur: aut certo, quod nullæ relictæ ſint arbores, a quibus aut ad novam ſobolem ſemina ſpargantur, aut ventorum, & nivium procellarumque vis, retundatur.

DIALO-

Digitized by Google

DIALOGUS XIII.

DE
LAPIDIBUS, LATERIBUS, CALCE
ET ARENA.

ARGUMENTUM.

I. *Occaſio ſermonis de lapicidinis.*
II. *De variorum lapidum uſu.*
III. *De primis marmoris ſcalptoribus.*
IV. *De bono & malo uſu marmoris.*
V. *De variis dotibus marmoris.*
VI. *De laterum inventoribus.*
VII. *De materia laterum.*
VIII. *De materia & uſu calcis.*
IX. *De qualitate arenæ.*

EURAS. Sermo, qui modo ligneus, jam lapideus fiet: lapicidinas enim conſpicio, quibus inſigne tum operarum tum vecturarum compendium facimus, ſi non procul, aut in ipſo fundo noſtro inveniantur. Eas Cadmus Thebis Ægyptiis, aut in Phœnice: Thraſon vero muros invenit. *Plin. L. VII. S.*57. Quid hæc ad rem ruſticam, inquies? ſed ut neque lapicidinæ, neque arenariæ ad agriculturam pertinent, reſpondet Varro *L. I. c.* 2. ſic figlinæ: neque ideo non in quo agro idoneæ poſſunt eſſe exercendæ, atque ex eis capiundi fructus, ut etiamſi ager ſecundum viam & opportunus viatoribus locus, ædificandæ tabernæ diverſoriæ, quæ tamen, quamvis ſint fructuoſæ, nihilo magis ſunt agriculturæ partes. Non enim ſi quis propter agrum, aut etiam in agro profectus domino agriculturæ acceptum referre debet, ſed id modo, quod ex ſatione terra ſit natum ad fruendum. Varronis itaque opinione lapicidinæ ad agriculturam non pertinent, ſicut nec figlinæ,

I. Occaſio ſermonis de lapicidinis.

næ, argenti ſodinæ, & alia metalla, quæ ſine dubio in aliquo agro fiunt, aut ſi quis plures textores in fundo habeat: quia tamen fundum vehementer adjuvant, ſtrictim de talibus ſermo fieri poteſt: nec obſtrigillamus Saſernas, quod in ſuis de agricultura libris inſeruerint, quomodo cimices interficiendi ſint, aut Catonem, quemadmodum placentam facere oporteat, apud quos & alios ſcriptores permulta ſimilia reperiuntur. De quibus multo magis mihi indulgebis quædam verba facere, quem fundum & ædes luſtrare juſſeras. Urb. Tibi vero haud facile venia danda eſſet, ſi ſermonem, quam de his cœpiſti, repente abſcinderes. Euras. Ex lapicidinis igitur aut ligone eruuntur lapides, aut effringuntur vectibus, aut potius multo laboris compendio hodie pulvere nitrato dirumpuntur maxime duriores: molliores ſiquidem, velut tofus ædificiis inutilis eſt moralitate mollitiæ. *Plin. L. XXXVI. S.* 48. albus enim etiam ſerra dentata, ut lignum ſcinditur: tractabilis tamen in opere & laboris patiens, ſed ſub tecto duntaxat: in apertis vero & patentibus locis aſpergine, gelu, gelicidiis pruinisque rumpitur in teſtas, nec contra humorem & auram maris robuſtus, a ſalſugine exeſus diffluit. *Vitruv. L. II. c.* 7. In lapide rubro, ut vocat Plinius *l. l. S.* 50. remedium eſſe ferunt, ſi æſtate & non hieme eximantur, nec ante biennium tectis inferantur, quo ventis, frigore, calore, imbribus prius domiti conſtantes reddantur adverſus omnes tempeſtatum injurias. Nigri ſilices, ut idem advertit, optimi: fluviatiles vero, velut ſemper madent, ita noxios & putres humores ſpargunt: qui vero multum calcis continent, facile incendiis diſſolvuntur. Lapides, qui a noſtris quadrati dicuntur, in fundamentis non ſatis fideles: ſupra illud pro pilis & angulis firmiſſimi, nec ſentiunt vetuſtatem. Urb. Tota hæc vicinia non ſolum abundat duriſſimis lapidibus, ſed redun-

II. *De variorum lapidum uſu.*

redundat etiam ſaxis. Verum miſſa faciamus vulgaria, cum haud procul marmoris lapicidinæ apertæ ſint. EURAS. Marmore ſcalpendo primo omnium inclaruerunt Dipœnus & Scyllis, in Creta inſula geniti, etiamnum Medis imperantibus, priusquam Cyrus in Perſis regnare inciperet, hoc eſt Olympiade circiter L. quamvis, cum ii eſſent, jam fuerit in Chio inſula Malas ſculptor, quem Olympiadum origini æqualem fuiſſe oſtendit Plinius *l. l. S.* 4. velut etiam hanc artem tanto vetuſtiorem fuiſſe, quam picturam, aut ſtatuariam, quarum utraque cum Phidia cœpit Olympiade LXXXIII. Hæc vero ars velut magnos uſus, ita & maximos abuſus intulit. Cum enim pretioſa in ſoli noſtri viſceribus haberemus marmora, alia tamen a diſſitis locis ingentibus ſumptibus petita ſunt, ad voluptatem tantum & oſtentationem, ac ſi ea pretioſiora, quæ cariora, aut exotica, ut propterea faceto ſale in eos luſerit Cicero, qui muros ex Chiorum marmore verſicolores maculas habente extruxerant, multo magis mirarer, inquiens, ſi Tiburtino lapide feciſſetis. Et Romæ quidem primus totius domus parietes marmore operuiſſe Mamurra traditur, ob id a Catullo *Carm.* 30. proſciſſus: Marcus vero Lepidus primus omnium limina ex Numidico marmore in domo poſuit, magna reprehenſione: L. Craſſus denique primus peregrini marmoris columnas habuit in Scauri palatio, quem ob id M. Brutus in jurgiis Venerem Palatinam appellavit. *Plin. l. l.* qui his allatis ultra ſcribit: ſecum quis cogitet, cum pretia horum audiat, cum vehi trahique moles videat, quam ſine his multorum fuerit beatior vita? iſta facere, immo verius pati mortales, quos ob uſus, quasve ad voluptates alias, niſi ut inter maculas lapidum jaceant? ceu vero non tenebris noctium dimidiæ parti vitæ cujusque gaudia hæc auferentibus? ingens iſta reputantem ſubit etiam antiquitatis rubor. Extant cenſoriæ leges

III. De primis marmorum ſcalptoribus.

IV. De bono & malo uſu marmoris.

ges, glandia in cœnis gliresque & alia dictu minora apponi vetantes: marmora invehi & maria hujus rei cauſa tranſiri, quæ vetaret, lex nulla lata eſt. Urb. Non Chia, non Paria, non Caryſtia, aut Numidica in villa mea nitent marmora, ſed quæ, ut vulgo dicitur, domi nata. Euras. Nec ego nitorem iſtum ſcalpo carpove, ſed peregrinum: & immodicum luxum removendum cupio, qui utilitatis nihil, vanitatis multum, plurimum vero ſumptuum parit. Majores certo noſtri columnis utebantur in templis, nec lautitiæ cauſa, nondum enim iſta intelligebantur, ſed quia firmiores aliter ſtatui non poterant. *Plin. l.l.* Propterea etiam Varro *L. I. c.* 57. triticum in ea granaria condi ſuadet, cujus parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandi. Immo & columbariorum leviſſimo marmorato totos parietes ac cameras oblinendas eſſe ducit: *L. III. c.* 7. nec ab oporothecis ſimile opus cenſet eſſe alienum, ideoque in cameras, inquiens, marmorato & parietes, pavimentaque faciunt, quo frigidius ſit: in quo etiam quidam triclinium ſternere ſolent cœnandi cauſa. Et ne hoc intemperatam quamdam profuſionem dicamus, addit: etenim in quibus luxuria conceſſerit, ut in pinacothece faciant, quod ſpectaculum datur ab arte, cur non quod a natura datum imitantur. *Varr. L. I. c.* 59. Philom. Si in hos viles & ruſticos uſus marmora conſumamus, exhaurientur denique in honeſtiora ornamenta lapicidinæ. Euras. Minime, ſi Plinio *l. l.* credimus, qui inter plura alia Italiæ miracula auctore Papirio Fabiano refert, marmora in lapicidinis creſcere, exemptoresque affirmare, compleri ſponte illa montium ulcera: quæ ſi vera ſunt, addit: ſpes eſt nunquam defuturam luxuriam.

V. *De variis dotibus marmoris*

Urb. Miror ego ſæpius in tanta colorum varietate luſum naturæ, dum aliud marmor candidum, aliud viride, aliud cæruleum, luteum aliud, aliud ſerpentium maculis ſimile,

ſimile, aliud undatim criſpum, aliud non minus in varios colores, quam figuras diſtinctum conſpicio. Euras. Quotocuique enim loco non ſuum marmor invenitur? Inter præcipuas ejus dotes eſt nitor, quem admittendi non omne genus eſt patiens: eminebat autem illud in templo Dianæ, in cujus contemplatione admonebant æditui parcere oculis: tanta marmoris radiatio erat. *Plin. l. l. S.* 4. Cæterum ſecandi marmor in cruſtas, neſcio, an Cariæ fuerit inventum - - Primum marmoreos parietes habuit ſcena M. Scauri, non facile dixerim ſectos, an ſolidis glebis poſitos: nondum enim ſecti marmoris veſtigia invenerat Italia. Sed quisquis primus invenit ſecare, luxuriamque dividere, importuni ingenii fuit. Arena hoc fit & ferro videtur fieri, ſerra in prætenui linea premente arenas, verſandoque tractu ipſo ſecante - - Jam quidem quacunque arena ſecare e fluviis omnibus fraus artificum auſa eſt, quod diſpendium pauci admodum intelligunt: craſſior enim arena laxioribus ſegmentis terit & plus erodit marmoris, majusque opus ſcabritia polituræ relinquit. Ita ſectæ attenuantur cruſtæ; rurſusque Thebaica polituris accommodatur & quæ fit e Poro lapide, aut e pumice. *Plin. l. l. S.* 9. Cum autem non ubique lapides ſuppetant, nec omne genus operi obſequens, nec ad omnem uſum commodum, nec ad gratiam aptum, nec ad perennitatem firmum, ex lateribus compoſuere ædificia. Et quamvis laterarias domos conſtituiſſe primi Euryalus & Hyperbius Athenis, cum antea ſpecus eſſent pro domibus, Gellio Dokius lutea ædificia, exemplo ſumpto ab hirundinum nidis, tegulas Cinyra inveniſſe dicatur *Plin. L. VII. S.* 57. Moſes tamen divino edoctus eloquio laterum inventionem uſumque longe antiquiorem fuiſſe teſtatur *Geneſ. XI.* ℣. 3. familias Noe loquentes inducens: *Venite, faciamus lateres & coquamus eos igni: habueruntque lateres*

VI. *De laterum inventoribus.*

pro ſaxis & bitumen pro cœmento. Et apud Babylonios quidem Epigenes, gravis auctor, apud eundem Plinium *l. l.* commemorat DCCXX. annorum obſervationes ſiderum coctilibus laterculis inſcriptas fuiſſe. Urb. Lapides pluris, an lateres facis? Euras. Græci, præterquam ubi e ſilice fieri poterat ſtructura, parietes latericios prætulere: ſunt enim æterni, ſi ad perpendiculum fiant. *Plin. L. XXXV. S.* 49. Et a terræ motibus quidem extructis e ſilice ædificiis majus periculum imminet: cum contra latere terreno facti parietes minore noxa quatiuntur. *Id. L. II. S.* 84. Cæterum lapides crudi dicuntur, qui ad ſolem ſiccantur: illini quidem crates parietum luto & lateribus crudis extrui quis ignorat? *Plin. L.XXXV. S.*48. Sed igne cocti contra quaſcunque injurias firmiores ſunt.

VII. *De materia laterum.* Urb. De qua terra duci lateres ſuades? Euras. Id te maxime ſcire oportet: non enim de arenoſo, neque calculoſo, neque ſabuloſo luto ſunt ducendi: quod ex his generibus cum ſunt ducti, primum fiunt graves: deinde cum ab imbribus aſperguntur, dilabuntur & diſſolvuntur: paleæque, quæ in his ponuntur, non coaleſcunt propter aſperitatem: faciendi autem ſunt ex terra albida, cretoſa, ſive de rubrica, aut etiam maſculo ſabulone. *Vitruv. L. II. c.* 3. Urb. Quo anni tempore confici oportet? Euras. Ducendi ſunt per vernum tempus & autumnale, ut uno tenore ſicceſcant. Qui enim per ſolſtitium parantur, ideo vitioſi ſunt, quod ſummum corium Sol acriter cum percoquit, efficit, ut videantur aridi: interius autem fiunt non ſicci: & cum poſtea ſicceſcendo ſe contrahunt, perrumpunt ea, quæ erant arida: ita rimoſi efficiuntur & imbecilli. *Vitruv. l. l.* Neque etiam ut ducti fuerint, protinus in fornacem ſunt immittendi, niſi prius in umbra potius, quam ſole ſiccati fuerint. Maxime autem utiliores erunt, addit Vitruvius, ſi ante biennium fuerint ducti, namque non antea poſſunt

poſſunt penitus ſiccеſcere. Si neceſſitas coegerit per hibernum tempus fingere, illico ſicciſſima arena operiuntur: ſi per mediam æſtatem, humectis paleis: ſic enim non findentur, neque contorquebuntur. Quin & intritam ipſam eorum, priusquam fingantur, macerari oportet. Terra pumicoſa, cum ſubigi poteſt, utiliſſima pro lateribus. *Plin. l.l.* Sic autem magnàs habent utilitates; teſte Vitruvio, quod neque in ædificationibus ſint oneroſi, &, cum ducuntur, a tempeſtatibus diſſolvantur. Fiunt autem ſic, ſcribit Palladius *L. VI. T.* 12. terra creta diligenter & omni aſperitate purgata, miſta cum paleis diu macerabitur & intra formam lateri ſimilem deprimetur. Utebantur triplici forma ſeu genere lapidum, non modo utilitatem, ſed gratiam & elegantiam quæritantes. Lydion longum ſeſqui pede, latum pede: alterum tetradoron; tertium pentradoron. *Plin. l. l.* Quod ſi latericios parietes in prætorio facere volueris, illud ſervare debebis, ut perfectis parietibus, in ſummitate, quæ trabibus (tegulis) ſubjacebit, ſtructura teſtacea cum coronis prominentibus fiat ſeſquipedali altitudine, ut ſi corruptæ tegulæ aut imbrices fuerint, parietem non poſſint penetrare perpluvia. *Pallad. L. I. T.* 9. Laterum vero ſine calce rarus eſt uſus. Babyloniis quidem bitumen ita ferruminatis muris intritæ vicem præbuit, & Pœnis pix: calce autem hi aſperitatem vini mitigabant, unde ſcite in Carthaginenſes dictum: ad tecta eos pice, ad vinum calce uti. *Plin. L. XXXVI. S.* 48. quod quis non etiam validus expaverit? *Plin. L. XXIII. S.* 24. Romani vero pice pro doliis, calce pro domibus utebantur, ut nos ſilere præciſe de ea haud poſſimus, ne eſſe videamur, quod Caligula de Seneca dicebat, quod ſit arena ſine calce. *Sueton. in Calig. c.* 53. Hac enim parcius adhibita, firma haud ſubſiſtunt ædificia: nam ruinarum urbis ea maxime cauſa, quod furto calcis ſine ferrumine ſuo cœ-

VIII. *De materia & uſu calcis.*

menta componuntur. *Plin. L. XXXVI. S.* 55. Hodie calce e fornace recenti & calida cœmentum coquitur: veteres non alia, ac quæ longo tempore macerata jam fermentaverit. *Vitruv. L. VII. c.* 2. intrita, quo vetuſtior, eo melior, ſcribit Plinius *l. l.* teſtaturque, in antiquarum ædium legibus inveniri, nec recentiore trima uteretur redemptor, ideoque nulla tectoria eorum ruinas fædaviſſe. Dicebantur autem redemptores, qui operam ſuam locaverant, aut certo pretio opus faciendum conducebant; qualem fere Cato *c.* 16. partiarium vocat, aut calcarium, qui calcem coquit & ſubminiſtrat. Lapides, ex quibus coquitur, aridi ſint: putreſcentes & exhauſti non habentur idonei; quoniam tertia parte minus habere ponderis calcem oportet, quam lapis habuerit. Qui terrei & ſabuloſi impuram reddunt calcem, nec ad quævis opera probabilem, velut & varii. Lapidem bonum in fornacem quam candidiſſimum, ſcribit Cato *c.* 38. quam minime varium indito. Propterea diligentia adhibenda eſt, uti de albo ſaxo aut ſilice coquatur: & quæ erit ex ſpiſſo & duriore, erit utilior in ſtructura: quæ autem ex fiſtuloſo, in tectoriis; quia mollior & dulcior & opera ſplendidiora reddit. *Vitruv. L. II. c.* 5. Palladius *L. I. c.* 10. laudat etiam columbinum, ex colore hujus avis dictum, ſeu ſilicem fluviatilem, globoſum, fuſcum, prædurum, e torrentibus & fluminum ripis collectum: ſed cum ſemper veluti madens ſit, utilior calx coquitur ex effoſſo lapide & molari, quia eſt quædam pinguior natura ejus. *Plin. l. l. S.* 53. Fornacem calcariam fuſe deſcribit Cato *c.* 38. cujus verba omitto, cum hodie paulo alia ejusdem ſtructura. Cæterum probatur ea calx, quæ ignibus purgata candicans, levis & ſonora eſt, aſperſaque aqua multo crepitu acrem vaporis vim in altum evomit: quod obſtupeſcens Plinius *l. l.* mirum! inquit, aliquid, poſtquam arſerit, accendi aquis: calx

tamen

tamen latentem ignem reprimens aqua ſuperfuſa exardeſcit. Aquis igitur reſtincta calx in cœmentum componitur, quæ tum primum ſoliditatem præſtat, ſi pro arenæ qualitate tertia aut quarta pars calcis miſceatur. Quod ſi verum eſt, heu! quantum hodie operum ſubtrahitur firmitati. Advertunt etiam, calcem ſuis & cognatis, præſertim ex eadem fodina erutis lapidibus inhærere tenacius, quam exteris: & glebas integras lapidum in calcem præſtantiores eſſe reſolutis pulveroſiſque fragmentis: hæc enim non ſolum cœmentum minus firmum reddunt, ſed tantundem etiam eidem operi nequaquam ſufficiunt. Sed de primi hujus aſſertionis capitis veritate non tam dubito, quam non dubito vanitate. Jam deſcendamus in arenam, cujus naturam, quæ ſit utilis, aptaque ædificiis tradit Vitruvius *L. II. c.* 4. & Palladius *L. I. c.* 10. Arenæ foſſiciæ tria ſunt genera, inquiunt, nigra, cana, rufa: omnium præcipue rufa melior: meriti ſequentis eſt cana: tertium locum nigra poſſidet. Urb. Arenam diſcernis a ſabulo? Euras. Sabulum craſſius eſt, idque vel durum, vel molle: illud marem, hoc fœminam appellant. Sabulum, & præcipue maſculum, ad ſtruendas vias, arena ad componendum cœmentum legitur: hæc aut foſſicia eſt, qualis ex arenario foditur, ac de qua jam plura dixi: aut fluvialis, quæ ex flumine ejicitur glarea: aut marina, quæ in littore maris colligitur. Ex his, quæ compreſſa manu edit ſtridores, erit utilis fabricanti. Item ſi panno vel linteo candidæ veſtis inſperſa & excuſſa nihil maculæ reliquerit aut ſordis, egregia eſt. *Pallad. l. l.* Ea vero non probatur, quæ lenis, colore odoreve terræ luteæ naturam habet: quæ aquam limoſam reddit & turbulentam: quæ ſtatim herbeſcere incipit: quæ diu jam aeris injuriis expoſita putreſcit; propterea monet Vitruvius *l. l.* meliores eſſe, ſi ſtatim, cum effoſſæ ſunt, calci miſceantur: nam diutino ſole,

IX. *De qualitate arenæ.*

ſole, aut pruina, aut imbre vaneſcunt. Foſſiles arenæ ob pinguitudinem tenaciores & brevi in ſtructura areſcentes, maxime cœmentitiis parietibus celeri ſiccitate ſunt utiliores. Inter fluviatiles, torrentium excellit, & quæ e fluente, poſt primam cruſtam abreptam, eximitur: & hæc tectoriis magis poterit convenire. Marina poſtremo loco ponitur, quoniam & difficulter adhæreſcit & ſalſugine diſſolubilis continuo madeſcit & ſubfluit. Quia ergo aut nunquam aut tardius ſiccatur, & ideo non continuo, ſed intermiſſis temporibus conſtruenda eſt, ne opus onerata corrumpat: camerarum quoque tectoria ſalſo humore diſſolvit. *Pallad. l. l.* Et ecce, Urbane, hic totus apparatus, qui aliis tanto conſtat impendio, ad manus tibi eſt, quanto emolumento? Nunc vero ædificium ſecundum partes communes, quoniam familiariter deſideras, paucis luſtremus, illa præfatus verba, quibus J. Columella Librum V. in quo de agris commetiendis ei ratio reddenda fuit, auſpicatur: obſequar voluntati tuæ, cum eo, ne dubites, id opus architectorum magis eſſe, quam ruſticorum, desque veniam, ſi quid in eo fuerit erratum, cujus ſcientiam mihi non vindico. *Col. L. V. præf.* Urb. Ago, ſuadeo, deſidero. Et quid tibi hic magni negotii: non tam tua, quam aliorum verba requiro & ſententias. Euras. O te bellum! etſi enim res notas haberem atque paratas, memoria tamen opus & diſpoſitione, ac, ut ſermo noſter vinciatur, cœmento quodam & ſuffrenatione verborum, ne ſit arena ſine calce & diffluat. Urb. Neque aliud a te volo. Euras. Sic volendo volentem me facis & habes, tua tamen benevolentia ſuſtine errantem.

DIALOGUS

DIALOGUS XIV.

DE
PARTIBUS REI ÆDIFICATORIÆ.

ARGUMENTUM.

I. *Quid ſit ordinatio & diſpoſitio.*
II. *Quid eurythmia & ſymmetria.*
III. *Quid decor & diſtributio.*
IV. *Quæ ad regionem pertineant.*
V. *Quæ ad aream requirantur.*
VI. *Partitio in quibus conſiſtat.*
VII. *De diverſis parietum generibus.*
VIII. *De ornamentis parietum.*
IX. *De columnarum officio &*
X. *Generibus earum.*
XI. *De conſervandis tectis &*
XII. *Ornamentis eorum.*
XIII. *De feneſtris.*
XIV. *De januis & ſcalis.*
XV. *De fundamentis.*

Euras. Votis tuis obſecundaturus non tam artis architectonicæ arcana ſcrutabor, quam potius nomina libabo, ut, dum occurrunt, non tam eorum periti, quam non rudes videamur. Architectura igitur conſtituitur ordinatione, diſpoſitione, eurythmia, ſymmetria, decore & diſtributione. Ordinatio eſt modica membrorum operis commoditas, ſeparatim, univerſæque proportionis ad ſymmetriam comparatio. Diſpoſitio eſt apta rerum collocatio, quæ idea, ſeu ſuſcepti operis ſimulacrum & forma vocatur; cujus tres ſunt ſpecies: prima eſt ichnographia, jacens nimirum areæ efformatio & ſuperficiaria deſcriptio: altera orthographia dicta, jam non planum opus & ima tantum operis veſtigia exhibens, ſed opus erectum cum tecto & parietibus repræſentans, & eſt erecta frontis imago & adumbrata corporis figura: tertia denique

I. *Quid ſit ordinatio & diſpoſitio.*

quæ ſciographia, ſeu ſcenographia compellatur, non frontis tantum aut laterum, ſed perfecta totius operis in modulum contracti forma, aut effictum ex ligno, creta chartave ſimulacrum, in quo univerſum opus ſingulæque partes & earum dimenſiones, numerus, ordo, omniumque rerum ad ædificium, ſive conſtituendum ſive exornandum, ſpectantium, parietum, tectorum, conclavium, columnarum, capitulorum, baſium, coronarum, faſtigiorum, cruſtationum, ſtatuarum &c. proponitur, ut velut in ſpeculo ob oculos verſetur, quid omittendum, immutandum, aut adjungendum, quæ cuique ſedes, quod officium, quantum ſpatium, quæ latitudo, altitudo, craſſitudo, amplitudo, forma, ſpecies, quæ ſumptuum ratio &c. Sint autem nuda, rudia ſimpliciaque ejusmodi ſimulacra, non polita, aut coloribus fucata, nec velut Arceſilai pretioſa, cujus proplaſmata pluris venire ſolita artificibus ipſis, quam aliorum opera. *Plin. L. XXXV. S.* 45. Eurythmia eſt ſingularum partium venuſta ſpecies, commodusque membrorum aſpectus, cum videlicet membra operis convenientia ſunt, & altitudo latitudini, latitudo longitudini, partesve ſingulæ reſpondent. Symmetria eſt ex ipſius operis membris conveniens conſenſus atque ex partibus ſeparatis ad univerſæ figuræ ſpeciem ratæ partis reſponſus, ſeu partium omnium inter ſe convenientia; etenim non habet Latinum nomen ſymmetria. *Plin. L. XXXIV. S.* 19. Commenſus dicitur a Vitruvio *L. III. c.* 1. hac circumſcriptione: ut etiam in operum perfectionibus ſingulorum membrorum ad univerſæ figuræ ſpeciem habeat commenſus exactionem. A Plinio vero juniore *L. II. Epiſt.* 5. congruentia & æqualitas, quam nos proportionem vulgo dicimus, compellatur. Etenim, inquit, ſi avulſum ſtatuæ caput, aut membrorum aliquod inſpiceres, non tu quidem ex illo poſſes congruentiam æqualitatemque deprehendere:

II. *Quid eurythmia & ſymmetria.*

dere: poſſes tamen judicare, an id ipſum ſatis elegans eſſet. Decor eſt emendatus corporis aſpectus probatis rebus compoſiti ad auctoritatem. Diſtributio, ſeu œconomia eſt copiarum locique partim naturæ, partim perſonis commoda diſpenſatio, parcaque in operibus ſumptus cum ratione comparatio. Digniſſima hanc in rem ſunt Vitruvii *L. VI. c. ult.* verba: omnium operum probationes, inquit, tripartito conſiderantur: id eſt, fabrili ſubtilitate, magnificentia & diſpoſitione. Cum magnificenter opus perfectum aſpicietur, impenſæ laudabuntur: cum ſubtiliter, officinatoris probabitur exactio: cum vero venuſtate, proportionibus & ſymmetriis, habuerit auctoritatem, tunc erit gloria architecti. Hæc autem recte conſtituuntur, ſi is & a fabris & ab idiotis patiatur accipere conſilia. Aliæ omnibus ædificiis communes partes ſunt pariter ſex: earum prima eſt regio, ſeu ea patens ſoli cœlique amplitudo & facies loci, in quo ponitur ædificium. Nihil illa noxium perniciosumve foveat, ſed affluat potius commodis, opportunitatibus omnibus, ac maxime ſalubri cœlo & aqua gaudeat; de quibus cum jam in ſuperioribus dixerim, nihil recoquo, velut nec de incolarum natura & vicinorum genio, quibuscum nobis convictus gravis redderetur, moleſtus aut plenus periculis. Acceſſu ſit facilis, a ſtrepitu urbis remota, commerciis tamen opportuna, ut nec longe quærendum, quod nobis deſit, nec procul evehendum, quo ſuperabundamus. Nec perpetua hieme algeat, nec continuis ardeat caloribus: nec violentis ventorum infeſtetur inſultibus: nec veluti pertinaci malacia immotus aer ſtagnetur: nec terræ motibus, nec eluvionibus ſit obnoxia: nec malo crudelive domino ſubjecta. His omnibus illud addo ex Seneca, *Epiſt.* 51. quemadmodum aliqua veſtis ſapienti ac probo viro magis convenit, quam alia: nec ullum colorem ille odit, ſed aliquem putat parum

III. *Quid decor & diſtributio.*

IV. *Quæ ad regionem pertineant.*

 aptum

aptum eſſe frugalitatem profeſſo: ſic regio quoque eſt, quam ſapiens vir, aut ad ſapientiam tendens declinet, tanquam alienam bonis moribus. Itaque de ſeceſſu cogitans nunquam Canopum eliget, quamvis neminem Canopus eſſe frugi vetat. Ne Bajas quidem: diverſorium vitiorum eſſe cœperunt. Illic ſibi plurimum luxuria permittit: illic, tanquam aliqua licentia debeatur loco, magis ſolvitur. Non tantum corpori, ſed etiam moribus ſalubrem locum eligere debemus: quemadmodum inter tortores habitare nolim, ſic ne inter popinas quidem - - - id agere debemus, ut irritamenta vitiorum quam longiſſime profugiamus. Sed regio hæc tua nil vicinitatis cum vitiis habet. URB. Bene interpellas; jam enim ſupercilium ſaliebat & vivus abire cogitabam. EURAS. Altera pars area dicitur, qua certum definitumque id loci ſpatium indicamus, in quo ponitur ædificium: cui proin omnia regionis commoda non tantum communia ſint, ſed propria: quamquam alia quædam deſiderentur in area prædii ruſtici, alia urbani, ſuo proprio loco tradenda. Areæ rotunda figura capaciſſima: minori tamen ſumptu cingitur muro ſeu aggere. In plano poſita ſemper exaggeranda eſt, ne aut alluvionibus fluminum aut imbrium, limo ſordes contrahat & alia incommoda: ideo firma eſſe debet & perferendis ſtructuræ oneribus idonea, cujus proin denſitas & mollitudo probe indaganda ac ad libellum æquanda, atque margines ejus leniter deprimendi, ut cœleſtium aquarum illapſus innoxie emittant. Sed quæ ego in hac tuæ villæ area video commoda & a naturæ quidem magis, quam hominum ingenio opportunitates? quam amplus hic ambitus? quam æquabilis & ſiccus ad ædes acceſſus? quis hortus? quæ pomaria? quæ ambulacra? qui fontes? quis rivus? quæ piſcinæ? qui illic colles? quæ hic planities? quæ ſilva? quis fluvius? urbs pene ſub oculis eſt: ut nulla pars

V.
Quæ ad aream requirantur

ſuis

ſuis deliciis vacet. Videor mihi ſtare in area Tiburtinæ Gordianorum villæ, cujus proſpectum Roma ipſa mirabatur. Quo meliore jure in hac Hadrianus celeberrima nomina, velut Lyceum, Academiam, Prytaneum inſcriberet? *Spart. in Hadr.* URBAN. Omnia belle narras: ſed deſine demulcere caput.

EURAS. Tertia pars eſt partitio, quæ aream univerſam in minores alias ſecernit, ſingulas ædificii partes definiendo, quibus veluti ſibi reſpondentibus membris totum ædificii corpus componitur. In hac perficienda architectus etiam omnem ingenii ſui vim, artem, curam & diligentiam exerat; hæc enim ceu anima omnes ædificii artus dirigit, & ſicut unius membri vitium in totius corporis cedit deformationem, ita, niſi ſingularum partium habitudo conſentiat, ad totius operis facit depravationem. PHILOM. Haud aliter, ac Horatius *de art. poet.* VI. *Partitio in quibus conſiſtat.*

Humano capiti cervicem pictor equinam
Jungere ſi velit & varias inducere plumas,
Undique collatis membris.

EURAS. Si unquam enim ordo quamdam tum utilitatem & commoditatem, tum gratiam & amœnitatem, certo in re ædificatoria, conciliat. Accommodata ergo cuique ſedes & poſitio decernatur: nec amplior, quam poſtulat uſus: nec arctior, quam exigat rei conditio. Præterea velut quælibet ædificii pars proprium ſibi officium, ita & locum vendicat, ut in alio nec commode, nec eleganter conſtitui poſſit: unde ſicut honeſtiores & publicas non in abdito, aut receſſu quodam, ita privatas haud decet conſtitui in propatulo. Aliæ enim umbris & frigore ſemper gaudent, nec ventos formidant: aliæ ſolem & calores, maxime hiberno tempore, admittunt: aliæ infimo ædium loco bene ponuntur: aliæ in media,

 aut

aut ſuprema contignatione tantum commode & concinne conſtituuntur: aliæ amplæ & laxæ, anguſtiores aliæ eſſe deſiderant. Qua de re exempli cauſa Columella *L. I. c.* 5. ſcripſit: hiberna & æſtiva ſic digerantur, ut ſpectent hiemalis temporis cubicula brumalem orientem: cænationes æquinoctialem occidentem. Rurſus æſtiva cubicula ſpectent meridiem æquinoctialem: ſed cænationes ejusdem temporis proſpectent hibernum orientem. Sint igitur partes omnes totius ædificii pro natura & conditione loci, pro uſu & commoditate familiæ, pro decore & honeſtate ad rerum agendarum ordinem, numerum, formam & amplitudinem ita diſpoſitæ & collocatæ, ut nulla earum non neceſſaria, non utilis, non cohærens, non concinna ac ad artis & elegantiæ leges perfecta videatur.

VII. *De diverſis parietum generibus.*

Quarta pars ſunt parietes, quorum nomine veniunt ſtructuræ illæ, quæ ab humo altius tecto ſuſtentando attolluntur, atque intra ædificium, inſtar ſepti & valli, per vacua ducuntur. Paries aut ex arrectis transverſisque arundinibus, perticis, lignisve ad ſimilitudinem cratis componitur, & craticius dicitur, quos Vitruvius *L. II. c.* 8. optat, ne inventos quidem fuiſſe; quantum enim eeleritate & loci laxamento proſunt, tanto majori & communi ſunt calamitati, quoniam ad incendia velut faces ſunt parati: aut ſunt marmorei: aut e lapide quadrato: aut latericii e crudis lateribus ſole ſiccatis ſtructi, qui olim egregios præſtitiſſe uſus dicuntur: aut ſunt teſtacei ſeu ex latere cocto, de quo & publica opera & regias domos ſtruxere, ſunt enim æterni. Alii ſunt formacei, quoniam in forma circumdatis utrinque duabus tabulis inferciuntur verius, quam inſtruuntur, ævis durant, incorrupti imbribus, ventis, ignibus, omnique cœmento firmiores. *Plin. L. XXXV. S.* 48. Urb. Uſu iſthi receſſerunt. Euras. Multo magis qui ab Hammanientibus excitati ſunt; hi enim domos ſale montibus

exciſo

excifo, velut lapide conſtruebant. *Plin. L. V. S.* 5. Præterea alius eſt paries cæcus, qui feneſtram non habet, quo ſenſu Varro *L. II. de ling. lat.* cubiculum vocat cæcum: alius eſt communis, quem communi opera vicini excitant: alius eſt intergerinus, ut vocat Vitruvius, qui inter confines conſtruitur, & quaſi intergeritur. *Feſt. L. IX.* Græci e lapide duro aut ſilice æquato conſtruunt veluti latericios parietes: cum ita fecerint, iſodomon vocant genus ſtructuræ; cum ſcilicet omnes lapidum ordines in ſtructura æquales ſunt. At cum inæquali craſſitudine ſtructi ſunt, ita ut verſus inferior ſit lapidum ſesquipedalium, exempli cauſa, verſus vero ſuperior lapidum pedalium, pſeudiſodomon compellatur. Tertium eſt emplecton, tantummodo frontibus politis, reliqua fortuito collocant. *Plin. L. XXXVI. S.* 51. Hac etiam noſtri ruſtici utuntur, ſcribit Vitruvius *L. II. c.* 8. quum frontes poliuntur, reliqua ita, ut ſunt nata, cum materia collocata, alternis alligant coagmentis. Alternas coagmentationes fieri, ut commiſſuras antecedentium medii lapides obtineant, neceſſarium eſt in medio quoque pariete, ſi res patitur: ſi minus utique a lateribus. Medios parietes farcire fractis cœmentis diamicton vocant. Reticulata ſtructura (cum lapides in quadrum ſecti non jacentes, ſed in latus ſtantes inſtar ſcutariarum teſſalarum collocantur) qua frequentiſſime Romæ ſtruunt, rimis opportuna eſt. Structuram ad normam & libellum fieri & ad perpendiculum reſpondere oportet. *Plin. l. l.* Perfecto parieti adſciſcendus eſt quidam decor aut a natura, aut arte: & quidem dum viret opus, prima arenatio inducenda; quo enim murus recentior & aſperior, eo arctius atque tenacius ejus ſuperficiem continebit, nec deſciſcet. Hæc autem prima tunica, ſi mollior fuerit, haud ſat tenaci morſu comprehenſabit parietem. Alteram autem & tertiam non adeo acrem atque mor-

VIII. *De ornamentis parietum.*

mordacem eſſe oportet, ne crebris rimulis interſcindatur. Incruſtationes vero parietum fiunt aut ex calce, aut gypſo, aut obtabulatis, teſſulatis, vitris, marmoribus, aut picturis, quas Ludius Auguſti ætate Romæ inſtituiſſe legitur: nunc vero in totum marmoribus pulſa pictura, ſcribit Plinius, jam quidem & auro: nec tantum ut parietes toti operiantur, verum & interraſo marmore vermiculatisque ad effigies rerum & animalium cruſtis. Non placent jam abaci, nec ſpatia montis in cubiculo delitentia: cœpimus & lapidem pingere. Hoc Claudii principatu inventum - - - Montium hæc ſubſidia deficientium: nec ceſſat luxuria id agere, ut quam plurimum incendiis perdat. *Plin. L. XXXV. S.* 1. Sed jam paulo ante eo Romanus luxus proceſſerat, ut laquearia, quæ poſt everſam Carthaginem primo inaurata ſunt in Capitolio, etiam in privatis domibus auro tegerentur, cum ſua ætas in Catulo damnaverit, quod tegulas æreas Capitolii inauraſſet primus. *Id. L. XXXIII. S.* 18. De his cum ad te verba facio, Urbane, magna me voluptas ſubit cum Seneca *Epiſt.* 86. ex ipſa villa Scipionis ſcribente, contemplantem mores Scipionis ac noſtros: in hoc angulo ille Carthaginis horror, cui Roma debet, quod tantum ſemel capta eſt, abluebat corpus laboribus ruſticis feſſum: exercebat enim opere ſe, terramque, ut mos priſcis fuit, ipſe ſubigebat. Sub hoc ille tecto tam ſordido ſtetit: hoc illum pavimentum tam vile ſuſtinuit. At nunc quis eſt, qui ſic lavari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulgeant, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſunt, niſi illis undique operoſa & in picturæ modum variata circumlitio prætexitur, niſi vitro abſconditur camera.

IX. *De columnarum officio.*

Nobiliſſima digniſſimaque parietis ſpecies dici poſſunt columnæ, cum longior earumdem ordo aliud haud ſit quam perfoſſi apertique parie-

tes,

tes, aut firma quædam perpetuaque muri pars tecti ferendi cauſa a ſolo imo usque ad ſummum ad perpendiculum excitata: olim enim ſuſpendebant granaria lignea columnis, ut undique etiam a fundo perflentur. *Varr. L. I. c.* 57. *Plin. L. XVIII. S.* 73. Demum utebantur in templis, nec lautitiæ cauſa, nondum enim iſta intelligebantur, ſed quia firmiores aliter ſtatui non poterant. *Plin. L. XXXVI. S.* 4. Sed hodie queritur Seneca *l. l.* quantum columnarum nihil ſuſtinentium, ſed in ornamentum poſitarum impenſæ cauſa? Sic enim Capitolinus in Gordianorum villa via Præneſtina ducentas columnas numerabat. Quam multæ aliæ nec ædificii fulciendi cauſa, nec ornamenti gratia, ſed gloriæ nomine hominibus poſitæ, ut attollantur ſupra cæteros mortales? Nunc genera earum paucis indicabo. Earum Plinius *l. l. S.* 56. quatuor enumerat: quæ ſextam partem altitudinis in craſſitudine ima habent, earum baſis vero decimam ſextam, capitulo porrectiore & cælatioris ſculpturæ, Doricæ vocantur. Quæ nonam & in baſi decimam octavam capitulo ſimpliciori, extantibus utrinque cornibus arietinis in anfractum convolutis, Jonicæ. Tuſculana columna cæteris amplior craſſitudine, cujus ſeptimam in altitudine obtinet partem & vigeſimam baſis habet. Corinthiæ eadem ratio cum Jonica novem & ipſa partibus altitudine ſuperans ambitum: ſed Jonici capituli altitudo tertia pars eſt craſſitudinis columnæ: tota altitudo ſcapi Corinthii & elaboratiori conſtat epiſtylio & imitante criſpata acanthi aut helicis in ſe ipſam redeuntis folia in medio ſurrecta, in margine circulatim inflexa cum labiis. Quintam his addidere, dictam Italicam, quæ ex harum ornamentis compoſita. Demum etiam Gothicam, quæ ex cæterarum fere conflata erroribus. Antiqua ratio erat columnarum altitudinis tertia pars latitudinum delubri. In Epheſiæ Dianæ æde primum columnis ſpiræ ſub-

X. & *generibus earum.*

De Re Ruſtica. Z ditæ

ditæ & capitula addita, placuitque altitudinis octava pars in craſſitudine & ut ſpiræ haberent craſſitudinis dimidium ſeptimæque partes detraherentur ſummarum craſſitudini. *Plin. l. l.* Urb. Templi hujus ideam me in arce Ambroſiana vidiſſe memini. Euras. Vidi & ipſe ſæpius, non tamen viſa eſt probe convenire illi, quam nobis reliquit Plinius *l. l. S.* 21. his verbis: magnificentiæ vera admiratio extat templum Epheſiæ Dianæ ducentis viginti annis factum a tota Aſia. In ſolo id paluſtri fecere, ne terræ motus ſentiret, aut hiatus timeret. Rurſus ne in lubrico atque inſtabili fundamenta tantæ molis locarentur, calcatis ea ſubſtravere carbonibus: dein velleribus lanæ. Univerſo templo longitudo eſt CCCCXV. pedes: latitudo CCXX. columnæ centum viginti ſeptem: a ſingulis regibus factæ: LX. pedum altitudine: ex XXXVI. cælatæ, una a Scopa. Urb. Nihil certe plus ad ædificiorum ornamentum, gratiam ac dignitatem facit, nihilque intuentes magis afficit, portamque & parietes & genus omne apertionis magis honeſtat, quam columnæ, etſi ſimplices illæ ſint omnique ornatu deſtitutæ. Euras. Nihilque etiam plus operæ impenſarumque haurit, & haud raro materia ignobilis ad artis leges tractata plus ſplendoris tribuit, quam pretioſa temere acervata, adeo ut omnis ſumptus vanus inaniſque ſit, niſi componendo accuratus ordo moduſque ſervetur, ut paribus paria, ſumma infimis, dextra ſiniſtris reſpondeant, atque altitudo, latitudo, dimenſio & figura columnæ, baſi, capitulo & parieti conſentiat. Qua in re nemo Græcis Romaniſque accuratior, ſed neque profuſior fuit; unde nollem tibi ad talia aut auctor, aut ductor eſſe. Igitur, ſi lubet, ad tectum progredior. Urb. Lubens audio. Euras. Hujus nomine non tantum ſupremam ædium partem, qua imbres & nives excipiuntur, ſed quidquid latum & longum ſupra habitantium caput eſt,

IX. *De conſervandis tectis.*

eſt, contignationes nempe & teſtudines, intellectum volo, ac maximam in perficiendo ædificio habendam rationem; quoniam non ſolum nobis contra tempeſtatum injurias, ſed totius ædificii tutela & munimentum eſt, ut eo deficiente putreſcant ex contracto humore materies, labaſcant muri, latera hiaſcant, fundamenta corrumpantur, ipſa denique totius domus compoſitio diſſolvatur; tantum intereſt, ut ſarta tecta conſerventur. PHILOM. Merito igitur Lyſiteles apud Plautum *in Trinum. II.* 2. ſe patri commendans dixit:

Neu tibi ægritudinem, pater, parerem, parſi ſedulo:
Sarta tecta tua præcepta usque habui mea modeſtia.

aut a contraria parte Philolaches apud eundem *in Moſtell. I.* 2.

Factus nimio nequior atque ædepol ita
Hæc tigna humide putent: non videor mihi
Sarcire poſſe ædes meas, quin totæ
Perpetuo ruant: quin cum fundamento
Perierint, nec quisquam eſſe auxilio queat.

EURAS. Eandem phraſin a tectis mutuatus eſt Tullius *Epiſt. ad famil.* 13. hoc mihi da, atque largire, inquiens, ut M. Curium ſartum & tectum, ut ajunt, ab omni incommodo, detrimento, moleſtia ſincerum integrumque conſerves. Tectum vero aut eſt teſtudinatum, aut pectinatum & in anguſtum ſurgens, quod pauperes conficiunt ſcirpis & arundinibus. PHILOM. Ut iterum Plautus *in Rudent. I.* 2.

Quin tu in paludem is, enecasque arundinem,
Qui pertegamus villam, dum ſudum eſt.

EURAS. Teſtatur certe Plinius *L. XVI. S.* 64. ſeptemtrionales populos domos ſuas iisdem operire durareque ævis: Chelonophagos vero teſtudinum ſuperficie. *Id. L. VI. S.* 28. Et qui Arbim accolunt, belluarum oſſibus. *Id. L. IX. S.* 2. In Belgica vero provincia candidum lapidem ſerra, qua lignum,

 faci-

faciliuſque etiam ſecant, ad tegularum & imbricum vicem. *Id. L. XXXVI. S.* 44. Alii ædes ſcandulis tegunt, velut ad Pyrrhi usque bellum iisdem Roma fuit contecta: quibus fiſſilibus ſcandulis materia e picea, robore, fago, & ex omnibus, quæ reſinam ferunt, præterquam e pinu, materia habebatur idonea. *Id. L. XVI. S.* 15. Non probatur igitur a Seneca *Epiſt.* 90. ſui temporis luxus, quo tecta ex vitro, ære, plumbo, aut auro ſplendebant: non enim tecta cœnationi epulas recepturæ parabantur, de moribus majorum ſuorum loquens ait: nec in hunc uſum pinus aut abies deferebatur longo vehiculorum ordine vicis intrementibus, ut ex illa lacunaria auro gravia penderent: furcæ utrinque ſuſpenſæ fulciebant caſam: ſpiſſatis ramalibus ac fronde congeſta & in proclive diſpoſita decurſus imbribus quamvis magnis erat. Sub his tectis habitavere ſecuri: culmus liberos texit: ſub marmore atque auro ſervitus habitat.

XII. *& Ornamentis eorum.*

Pro ornatu tamen quodam aut potius uſu & utilitate ad ventorum flamina expedito circumactu agricolis aut villæ domino exploranda non male in tectorum acroteriis, ſeu ſummis ædium faſtigiis figebant Tritones, ſeu bracteas & betala: ſeu eminens radius, ut ſcribit Varro *L. III. c.* 5. qui ita movetur, ut eum tangat ventus, qui flet, ut intus ſcire poſſis. Hujus exemplum Andronicus Cyrrheſtes collocavit Athenis turrim marmoream octogonon & in ſingulis lateribus octogoni ſingulorum ventorum (octo enim eſſe tradiderunt) imagines exculptas contra ſuos cujusque flatus deſignavit, ſupraque eam turrim metam marmoream perfecit & inſuper Tritonem æneum collocavit, dextra manu virgam porrigentem, & ita eſt machinatus, uti vento circumageretur & ſemper contra flatum conſiſteret, ſupraque imaginem flantis venti indicem virgam teneret. *Vitruv. L. I. c.* 6.

XIII. *De feneſtris.*

Quinta ædificii pars ſunt apertiones, per quas aditus exitusque tum hominibus datur,

tur, tum aeri & luminibus: his quidem per feneſtras, illis per oſtia & ſcalas. Nulla pars domus cœca ſit, ne aut oculus offendatur, aut aer incluſus putreſcat. Tot igitur feneſtræ, & tantum luminis admittant, quot, & quantum ædificii ratio, locique conditio exigit: nec juſto altiores ſint, ne aeris afflatu prohibeamur: nec humiliores, ne proſpicientes præcipites agi vereantur. Reſpondeant ſingula ſingulis, ut illic ſubtilior aer captari, hic calor & vehementior ventus arceri, aut utrobique ſpirantis auræ tranſitus poſſit admitti. Jugumenta earum ſint ex larice, tribus annis probe ſiccata, ne hieſcant commiſſuræ, ſed fideliter claudant, velut a Pœno lignario factæ, ut phraſi Plautina utar, qui oſtenſurus ædium poſtes hiare, atque adeo minime a Pœnis in opere lignario clariſſimis fabris, conjunctas fuiſſe, ait *in Moſtell. III. 2.*

Intempeſtive exciſos credo, id eis vitium nocet:
Atque etiam nunc ſatis boni ſunt, ſi ſunt inducti pice:
Non enim hæc pultiphagus opifex opera fecit barbarus.

Æſtivis conclavibus ſeptemtrioni objectis ſint plures feneſtræ: ad meridiem vero reſpicientibus pauciores: & ex contraria parte hibernis conclavibus ad ſeptemtrionem poſitis ſint pauciores: ad meridiem vero plures: nullæ autem in angulis parietum, quos firmiſſimæ ſtructuræ eſſe convenit, ne junctura debilitetur. Feneſtræ bibliothecæ orientem: oporothecæ vero Aquilonem ſpectare jubentur. *Varr. L. I. c. 59. Plin. L. XV. S. 18.* Noveris autem me hac in parte e ſecta Epicuri, qui latas, non Stoicorum eſſe, qui anguſtas feneſtras probabant. *Cicer. L. II. Ep. 3. ad Attic.* Sed nolo his rebus dicendis majorem patefacere feneſtram: ad januam me recipio, quam ab angulis & columnis remotam ibi conſtitui oportet, ubi in omnem partem ædificii commodiſſimus ſit aditus. Olim fas haud erat eam revolvere in viam publicam, habebaturque clariſſimum

XIV. *De januis & ſcalis.*

riſſimum inſigne inter triumphales quoque domos, ut domus Valerii Publicolæ & fratris ejus fores, poſtquam bis Sabinos devicerant, extra aperirentur & janua in publicum rejiceretur; cum hæ ſolæ omnium, quæ Romæ fuerunt, in exteriorem partem revolverentur. *Dionyſ. Halicar. L. V. Plin. L. XXXVI. S.* 24. Servandus præterea oſtiorum quidam conſenſus, ſed qui commodo ſit domino, non fraudi. Inter apertiones numerantur etiam ſcalæ, quæ ipſæ tres apertiones continent; quarum una eſt ipſe aditus, ſeu os ſcalæ: altera contignationis, in quam aſcendimus: & tertia per quam aſcenſuris lumen ſubminiſtratur. Sit enim illuſtris, non caliginoſa, ne nos Aſclepiadis fatum expectet, qui lapſu per ſcalam exanimatus eſt. *Plin. L. VII. S.* 37. Sit lata, non anguſta, ne transferendæ ampliori ſupellectili inutilis fiat, aut gravis obeſioribus. Gradus ſimiliter lati ſint & humiles, nec continui, ſed areola quadam intercepti. Aditus ejus & exitus ſit omnibus conſpicuus: nec hoſpitibus arduus: nec incolis moleſtus: nec tempeſtatum injuriis expoſitus. Fores ſera, peſſulo, obicibus, aut repagulis claudi poſſint. PHILOM. Nempe ne tritæ ſint, velut paſtorum caſæ. URB. Oſtium meum ſemper erit tui tibique ſimilium oculiſſimum: improbis vero oculuſiſſimum. Tu vero, Euraſi, mirabilis mihi videris architectus: materiam, lapides, lateres, calcem & arenam præparaſti: regionem & aream conſtituiſti: parietes, columnas, tectum & cum feneſtris oſtia & ſcalas poſuiſti, nunquam cogitans de fundamentis, ſine quibus cum toto imaginario tuo ædificio in caducum parietem, ut vulgo dicitur, inclinabis: an igitur in arena ædificaturus es? EURAS. Næ tu faſtidioſus es monitor! an architectum agere conſtitui? certo enim imaginaria ſunt hæc omnia, quæ hucusque protuli, ſeu potius mente præconcipienda, priusquam manum apponas, aut fodias fundamentum. Atque hoc ipſum, de quo nunc loquimur, fundamentum non tam eſt ſtructu-

ræ

ræ pars, quam locus & ſedes, in qua ſtructura ſtatuenda venit. Hoc igitur ſolum ſit firmum, ſiccum & ſolidum, non herbis, non graminibus, non arboribus conſitum, non humidum aut paluſtre, quamvis tale a terræ motibus magis tutum, ſed prius calcatis carbonibus ſubſternandum erit, quod paulo ante in templo Epheſino obſervatum dixi. URB. Et cur carbonibus? EURAS. In carbonibus nonne miranda eſt & tanta infirmitas, ut ictu leviſſimo frangantur, preſſu facillimo conterantur: & tanta firmitas, ut nullo humore corrumpantur, nulla ætate vincantur, usque adeo, ut eos ſubſternere ſoleant. *S. Auguſt. L.* XXXI. *de civit. c.* 4. ne ſcilicet ille humor inficiat ſtructuram. In bello non licet bis peccare: at in ponendis fundamentis ne ſemel quidem. In cæteris ſi quid peccatum ſit, lædit levius, emendatur facilius, & perfertur commodius: in fundamentis vero nec excuſatio admittitur, nec emendatio. Ipſius autem prætorii ſitus, ſcribit Palladius, ſit loco aliquatenus erectiore & ſicciore, quam cætera propter injuriam fundamentorum, & ut læto fruatur aſpectu. Fundamenta autem hoc modo ponenda ſunt, ut latiora ſint ex utraque parte ſemipedis ſpatio, quam parietis inſuper ſtruendi corpus increſcat. Si lapis vel tofus occurrat, facilis cauſa eſt collocandi, in quo ſculpi tantum fundamenti forma debebit unius pedis altitudine, vel duorum. Si ſolida vel conſtricta invenietur argilla, quinta vel ſexta pars altitudinis ejus, quæ ſupra terram futura eſt, fundamentis deputetur. Quod ſi terra laxior fuerit, modo majoris altitudinis obruantur, donec munda ſine ruderum ſuſpicione occurrat argilla; quæ ſi omnino deſit, quartam merſiſſe ſufficiet. Sed tamen hac in re certa regula conſtitui nequit, cum ſemper ad imponendi molem ædificii reſpiciendum ſit, adeo ut non deſint exempla, in quibus altitudo fundamentorum magnitudini impoſiti oneris par fuiſſe legitur, velut Plinius *L.* XXXVI. teſtatur, fundamenta obeliſci in campo Martio ea altitudine in terram fuiſſe acta, qua ille ſupra fundamenta aſſurgebat. XV. *De fundamentis.*

DIA-

Digitized by Google

DIALOGUS XV.
DE VILLA URBANA.

ARGUMENTUM.

I. *Qua ætate ædificationi danda opera.*
II. *Damnatur luxus ædificiorum.*
III. *Laudatur moderatus decor.*
IV. *De veſtibulo.*
V. *De atrio.*
VI. *De aliis in infima parte ædium.*
VII. *De cellis ſubterraneis.*
VIII. *De conclavibus & ſupellectili.*
IX. *De culina.*
X. *De pinacotheca.*
XI. *De bibliotheca.*
XII. *De muſeo.*

Urban. Iſthæc igitur fabris & architectis relicturi villam ipſam luſtrabimus. Euras. Videtur mihi caſtigatiſſimæ elegantiæ: quis extruxit eam? Urb. Avus, ruri a puero deditus, ante annos fere ſexaginta, cum ipſe ſuæ ætatis quadrageſimum compleſſet. Euras. O quam probe factum! certo enim cordi habuit Catonis monitum *c.* 3. prima adoleſcentia patrem familiæ agrum conſerere ſtudere oportet: ædificare diu cogitare oportet: conſerere cogitare non oportet, ſed facere oportet. Ubi ætas acceſſit ad annos XXXVI. tum ædificare oportet, ſi agrum conſitum habeas. Et apud Plinium idem Cato dixiſſe fertur: fundum in adoleſcentia conſerendum ſine cunctatione: ædificandum non niſi conſito agro: tunc quoque cunctanter: optimumque eſt, ut vulgo dixere, aliena inſania frui, ſed ita, ut villarum tutela non ſit oneri. *Plin. L. XVIII. S.* 6. Urb. Faciliores nempe profuſioresque in adoleſcentia ſumus. Euras. Nec ulla charybdis tam vorax,

I. *Qua ætate ædificationi danda opera.*

quæ

II. *Damnatur luxus ædificiorum.*

quæ tot res tam cito, tam perdite abſorbere poteſt, quam ædificandi libido. Nero Claudius, licet in omnibus pernicioſiſſimus reipublicæ, non in alia re tamen damnoſior, quam in ædificando fuit. *Sueton. in eod. c.* 31. Multos non ſolum juvenes, ſed etiam opulentiſſimos ſenes, hæc ædificandi cupiditas redegit ad incitas, ut non opus ſit Luculli, Scævolæ & Metelli exempla referre. Urb. Et quid hodie? Euras. Anguſte ſe habitare nunc putat, cujus domus tantum patet, quantum Cincinnati rura patuerunt. *Val. Maxim. L. IV. c.* 4. ut haud mirum, quod ædes devoraverint fundum. Igitur illas ædificiorum ſpecies, in quas patrimonia ſua profuderunt, amœniſſimas & extructiſſimas deprehendens, aulas æmulas urbium conditas, domos vice templorum exornatas. *L. Apul. de deo Socrat.* quem ipſum ædificiorum luxum reprehendens M. Seneca *L. II. controv.* 9. ſcribit: ædes ipſæ, quas in tantum extruxere, ut domus ad uſum & munimentum paratæ, ſint nunc periculo, non præſidio: tanta altitudo ædificiorum eſt tantæque viarum anguſtiæ, ut neque adverſus ignem, neque ex ruinis ullum ullam in partem effugium ſit. Ad delicias dementis luxuriæ lapis omnis eruitur, cæduntúrque gentium ſilvæ: æris ferrique uſus, jam auri quoque, in extruendis & decorandis domibus; nempe ut anxii interdiu & nocte ruinam ignemque metuant, qui tectis injectus eſt fortuitus. - - In hos ergo exitus varius ille ſecatur lapis, ut tenui fronte parietem tegat, quam vinctis ſevere in hoc pavimentum levatum & infuſum tectis aurum. O paupertas quam ignotum bonum es! Urb. Jam vereor te in villam meam recipere, cum te auctore didicerim, quanto hæc ædificia damno nobis ſint, minime fructui. Euras. Non omne ædificium damno nobis eſt, ſed utilitati etiam atque neceſſitati, maxime quod jam perfectum accepimus, velut tu potes feliciter aliena inſania frui.

III. *Laudatur moderatus decor.*

Urb. Nec omnem etiam ornatum & elegantiam in villa urbana damnas? Euras. Ne cenſorius quidem Cato, ſed commendat etiam, mandatque pro facultatibus bene ædificare: villam urbanam pro copia ædificato. Patrem familiæ villam ruſticam bene ædificatam habere expedit. *Cat. c.* 3. *&* 4. Urb. Quam ob rem iſtud obſecro frugalis ſenex? Euras. In bono prædio, reſpondet, ſi bene ædificaveris beneque poſſiveris: ruri ſi recte habitaveris, libentius & ſæpius venies: fundus melios erit: minus peccabitur: fructi plus capies. *Cat. l.l.* Urb. Quam æquam ſuæ ſententiæ rationem reddit? Euras. Hanc ipſam ex eodem didicit Columella, cum *L. I. c.* 4. ſcribit: proportione etiam facultatum quam optime paterfamilias debet habitare, ut & lubentius rus veniat & degat in eo. Adjungit & aliam, lectiſſimæ, ni fallor, uxoris tuæ gratia: jucundius utique viro, ſi etiam matrona comitabitur, cujus ut ſexus, ita animus eſt delicatior. Quam ob rem amœnitate aliqua demerenda erit, quo patientius moretur cum viro: eleganter igitur ædificet. Temperamentum itaque in his ædificiis adhibendum eſſe recte monet Palladius *L. I. c.* 8. ædificium pro agri merito & pro fortuna domini oportet inſtitui: quod plerumque immodice ſumptum difficilius eſt ſuſtinere, quam condere. Ita igitur æſtimanda eſt ejus magnitudo, ut, ſi aliquis caſus intercurrerit, ex agro, in quo eſt, unius anni aut multum biennii penſione reparetur. Has rationes, Urbane, ſi diligenter prius computaremus, non foret, ut patrimonii noſtri naufragium facere timeamus. Ego vero omiſſis omnibus aliis illa Ciceronis verba notatu digniſſima eſſe cenſeo: ornanda eſt enim dignitas domo, inquit, non ex domo dignitas tota quærenda: nec domo dominus, ſed domino domus honeſtanda eſt. Et ut in cæteris habenda ratio, non ſui ſolum, ſed etiam aliorum: ſic domo clari hominis, in quam & ho-

& hoſpites multi recipiendi ſunt, & admittenda hominum cujusque generis multitudo, adhibenda eſt cura laxitatis. Aliter ampla domus dedecori domino ſæpe fit, ſi eſt in ea ſolitudo, & maxime, ſi aliquando alio domino ſolita eſt frequentari; odioſum eſt enim, cum a prætereuntibus dicitur: o domus antiqua! heu! quam diſpari dominare domino. Quod quidem his temporibus in multis licet dicere. Cavendum eſt etiam, præſertim ſi ipſe ædifices, ne extra modum ſumptu & magnificentia prodeas: quo in genere multum mali etiam in exemplo eſt; ſtudioſe enim plerique, præſertim in hanc partem, facta principum imitantur, ut L. Luculli, ſummi viri, virtutem quis? at quam multi villarum magnificentiam imitati ſunt! quarum quidem certe eſt adhibendus modus ad mediocritatemque revocandus, eademque mediocritas ad omnem uſum cultumque vitæ transferenda eſt. *Cicer. L. I. offic.* Nunc autem cum in veſtibulo, id eſt, neque in via, neque intra ædes, ſed ante januam ſtamus, in quo togati clientes patronum ſalutatum venientes, priusquam admitterentur, conſiſtebant, non poſſum honeſtam modeſtamque elegantiam non laudare: nec tamen immodicos ſumptus aut inſolentem oſtentationem reprehendere, velut Phalereus Demetrius Periclem vituperabat, quod tantam pecuniam in præclara illa propylæa projecerit. *Cicer. L. II. offic.* Janua, primus ædium aditus, a bifronte Jano omnium rerum, ut fingebant, principio dicta, biforis & arcuata, poſtes habet antepagmentis utrumque oſtii latus munientibus ornatas, non tamen ex ære, quod Camillo inter crimina objecit Sp. Carvillius. *Plin. L. XXXIV. S. 7.* nec Atlantes ex Numidico marmore, ob quod M. Lepidus magna reprehenſione dignus eſt viſus. *Plin. L. XXXVI. S. 8.* Olim foris & circa limina domitarum gentium imagines erant, affixis hoſtium ſpoliis, quæ nec emptori refigere liceret: trium-

IV. *De veſtibulo.*

umphabantque etiam dominis mutatis ipſæ domus: & erat hæc ſtimulatio ingens exprobrantibus tectis, quotidie imbellem dominum intrare in alienum triumphum. *Plin. L. XXXV. S.* 2. Primus intra ædes aditus atrium dicitur, ſive ab Atriatibus Hetruriæ populis, ut M. Varroni placuit, ſive ab atro fumi fuliginisque colore, quem a vicina culina, teſte Servio, contrahebat. Atrium M. Scaurus ære & marmore exornabat, quem luxum minime probans Plinius *l. l.* aliter apud majores in atriis hæc erant, inquit, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora: expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera: ſemperque defuncto aliquo totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Philom. Atque in his etiam imaginibus quantum fumi? notum illud Juvenalis *Satyr. VIII.*

V. *De atrio.*

Tota licet veteres exornent undique ceræ
Atria, nobilitas ſola eſt atque unica virtus.

Hinc Seneca *L. III. de benef. c.* 28. nemo altero nobilior, niſi cui rectius ingenium & artibus bonis aptius. Qui imagines in atrio exponunt & nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris, in parte prima ædium collocant, noti magis quam nobiles ſunt. Unus omnium parens mundus eſt, ſive per ſplendidos, ſive per ſordidos gradus, ad hunc prima cujusque origo perducitur. Non eſt, quod te iſta decipiant, cum majores tuos percenſent. Urb. Philoſophari nobis lubet, cum ædificare non liceat. Euras. Quis iſte locus foribus valviſque ferreis ac latericia teſtudine ab ignis voracitate tam probe munitus? Urb. Tabularium eſt, in quo tabulæ ac ſcripta monumenta reponuntur. Euras. O belle factum! eſt enim velut omnium rerum & jurium noſtrorum ſacrarium, quod tablinum veteres appellavere & Vitruvius

VI. *De aliis in infima parte ædium.*

vius *L. VI. c.* 4. cum Feſto proximum atrio poni juſſit: tablinum proxime atrium locus dicitur, publicarum rationum cauſa factus: quod antiqui magiſtratus in ſuo imperio tabulas rationum ibi habeant. *Feſt. L. XVIII.* Plinius quoque *l. l.* ſcribit, tablina codicibus impleta & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum. Et quoniam in eo velut ſumma & totius rei familiaris cardo verſatur, luſtratis ædibus viſere licebit. Urb. Non viſere tantum, ſed ejus inſtruendi rationem ſuppeditare. Euras. Faciam. Et quo ille ducit decorus aditus? Urb. Ad domeſticam, ſeu Deo ſacram ædem, cæteris ædificii partibus paulo ſplendidiorem, ne neſcias, patris avique non ſolum inquilinam, ſed primam curam religionem fuiſſe. Hic famulorum conclavia: hæc porticus vero ad deambulationem & umbram excitata eſt. Euras. Has domibus adjunxere, ut in eis ſervorum & concurrentium turba diverteret. Nota eſt illa Domitiani phengite lapide diſtincta, e cujus ſplendore per imagines, quidquid a tergo fieret, provideret. *Sueton. in Domit. c.* 14. Urb. Iſtic per quatuor gradus in cellam penariam teſtudine tectam, ac in vinariam per alios octo gradus deſcenditur. Philom. Cujus ſi mihi res ſumma crederetur cibaria cum Plautino Ergaſilo in Captiv. IV. 3.

VII. *De cellis ſubterraneis.*

Dii immortales! jam ut ego collos prætruncabo tergoribus,
Quanta pernis peſtis veniet! quanta labes larido,
Quanta ſumini abſumedo! quanta callo calamitas!
Quanta laniis laſſitudo! quanta porcinariis!
Nam ſi alia memorem, quæ ad ventris victum conducunt, mora'ſt.
Nunc ibo ad præfecturam & jus dicam larido,
Et quæ pendent indemnatæ pernæ, eis auxilium ut feram.

Urb. Ego vero tibi, Philomuſe, cum Hegione reſpondeo:

Sume, poſce, prome quid vis, te facio cellarium.

Philom. Deſcendamus igitur in apothecam vini. Euras. Recte obſervavit architectus illud Varronis *L. I. c.* 13. monitum: quod cella vinaria quærat ad dolia aera frigidiorem. Hinc Vitruvius *L. I. c.* 4. in cellis vinariis tectis lumina nemo capit a meridie: nec ab occidente, ſed a ſeptemtrione. Atque adeo cellam vinariam ſeptemtrioni debemus habere oppoſitam, frigidam, vel obſcuræ proximam. *Pallad. L. I. c.* 18. & ſubmota procul eſſe debet a balneis, furno, ſterquilinio, reliquisque immunditiis, tetrum odorem ſpirantibus: nec minus a ciſternis, aquisque ſalientibus, ex quibus, qui extrahitur humor, vinum corrumpit. *Col. L. I. c.* 6. Latus cellæ vinariæ, Plinii hæc monita ſunt, aut certo feneſtras obverti in Aquilonem oportere, vel utique in exortum æquinoctialem. Sterquilinia & arborum radices procul abeſſe, omniaque odoris evitandi, facillimo in vina tranſitu, ficos utique & caprificos. Doliis etiam intervalla dari, ne inter ſeſe vitia ſerpant, contagione vini ſemper ocyſſima. *Plin. L. XIV. S.* 27. nam nulla res alienum odorem celerius ad ſe adducit quam vinum. *Col. L. XII. c.* 28. Sed ne a cella vinaria ad ipſa vina divertamus, ad ſuperiorem contignationem greſſum promoveamus, neceſſe eſt. Urb. Hoc prius in tranſitu conſiderantes teſtudineatum hypogæum, in quod ſupellex pretioſa exorto incendio, velut in tuto, poſſit collocari. Euras. O providam in omnem caſum majorum noſtrorum curam & cautionem!

VIII. *De conclavibus & ſupellectili.*

Scalæ, gradusque quam lati, quam commodi, quam illuſtres! ipſius autem ſtructuræ & membrorum quam elegans ſpecies & compoſitio, quam omnis anguli expers! Urb. Nec mirum, director enim curatorque ædificii Italus erat, qui harum rerum inventione, & univerſim in arte architectonica præſtant noſtris.

ſtris. Et hæc totius familiæ ſedes: hic cœnaculum: iſthic herus & uxor: illic liberi: hic famulæ: iſtic æſtivum quoddam triclinium: illic culina cum apotheca. Euras. Pulcherrimo ſitu & ordine ſeſe ſingula excipiunt conclavia. Æſtivum triclinium, ſeu cubile ſalutatorium, ut vocat Plinius *L. XV. S.* 10. tum naturæ debet, tum arti, quod & lumen accipiat, non obnoxium radiis ſolis & quocunque perflantes ventos, queis æſtus temperetur, admittat, nitido ſtratum marmore. Et quam egregio penicillo labores ruſticos per ſingulos menſes diſpoſitos peritus pictor expoſuit, ut velut per otium eosdem familiæ ruſticæ dictare poſſimus! tabulas profecto & a manu artificis & ingenioſa inventione pretioſas! Urb. Majorem ſupellectilis partem, atque omnem fere ornatum in urbem tranſtuli, cum rus, villamque in hoc tempus defugerem. Euras. Quo alio ornatu eſt opus, cum ille, quem natura tribuit, omnes alios arte & ære comparatos ſuperet & prævertat. Mihi certe in ſuburbanis iſtis omni luxu potior eſt ruſtica quædam ſimplicitas & non multo labore & induſtria quæſita commoditas. Urb. Hic occultus quidam aditus, e quo ab ima in ſupremam ædium partem, quin a quoquam animadvertatur, ædium hero licet aſcendere, & quæ a ſuis agantur, explorare: novum inventum. Euras. Immo antiquiſſimum: pſeudothyrum dixere veteres. Philom. De tali Virgilianos illos *Æneid. L. II.* verſus accipio:

> Limen erat, cæcæque fores & perviuſ uſus
> Tectorum inter ſe Priami, poſtesque relicti
> A tergo: infelix qua ſe, dum regna manebant,
> Sæpius Andromache ferre incomitata ſolebat
> Ad ſoceros, & avo puerum Aſtyanacta trahebat.

Euras. Cætera conclavia pro honeſtiſſima commoditate compoſita, ac prorſus ad genium & imaginariam quamdam meam villam,

villam, quam ſecundo a Platonica civitate lapide excitarem, non alio magis decore quam religioſiſſima munditia commendandam. Urb. Culina hæc lucida, a fumi incommodis libera & fonte perenni inſtructa: nec ullibi fere majorem requiro munditiam, ac in culina. Philom. Vellem & ego cum Horatio *Serm. L. I. Sat.* 2. paucis contentus agere,

IX. *De culina.*

> - - - - - modo ſit mihi menſa tripes &
> Concha ſalis puri & toga, quæ defendere frigus,
> Quamvis craſſa, queat.

Curare ideo meos jubeo, ut ſplendor vaſis æneis & ſtanneis ſit clarior,

> Quam ſolis radii eſſe olim, cum ſudum'ſt, ſolent.
> *Plaut. Mil. glor. l.* 1.

Sed in his quoque mediocritatem adhibendam eſſe monet Seneca *Epiſt.* 119. miſcere vitia deſideriis noli, inquiens, ne te Catonis dictum feriat: cultus magna cura tibi, magna virtutis incuria. Cavendum igitur, ne major munditiæ & ſupellectilis cura in luxum degeneret, qualis ab exercitu Aſiatico in urbem invectus eſt: tum enim cocus, viliſſimum antiquis mancipium, & æſtimatione & uſu in pretio eſſe, & quod miniſterium fuerat, ars haberi cœpta. *Liv. L. XXXIX. c.* 6. Urb. Dum ita philoſopharis, jam in ſuperiorem ædium partem ducimur. Euras. Superi! quam lætus, quam eruditus hic aſpectus. Urb. In hoc conclavi pinacothecam conſtituerat parens, in quam quidquid aut ab ætate, aut ab arte, aut a natura, aut a materia, aut ab uſu, aut ab artifice pretium exiſtimationemque accipit, phyſica quoque, mathematica, ac technica inſtrumenta reponebat, atque adeo theſaurum numiſmatum, arma, annulos, veſtium ornamenta, imagines, ſimulacra, metallorum genealogias, ac totius naturæ divitias, quas comparaverat, continebat. Euras. Magni iſthæc facio, haud tamen

X. *De pinacotheca.*

tamen cum jactura rei familiaris: id enim merito carpit Seneca *Epiſt.* 88. an tu exiſtimas reprehendendum, qui ſupervacua uſu ſibi comparat, & pretioſarum rerum pompam in domo explicat? non putas eum, qui occupatus eſt in ſupervacua litterarum ſupellectile? plus ſcire velle, quam ſit ſatis, intemperantiæ genus eſt. Plinius certe *L. XXXV. S.* 2. aſſerit, ejusmodi pinacothecas quandoque conſui, quia honorem ſibi in pretio ducunt, nec alio uſu, niſi ut frangat heres & fur rapiat. Adeo materiam malunt conſpici omnes, quam ſe noſci. Urb. Si tam ſevere ſentis, haud velim, ut in proximum conclave pedem inferas, in quo pater poſuerat librorum theſaurum: an æqua tibi de hoc mens? Euras. Æquiſſima: propterea cum Tullio *L. I. Epiſt.* 6. *ad Attic.* moneo: bibliothecam tuam cave cuiquam deſpondeas, quamvis acrem amatorem inveneris; nam ego omnes meas vindemiolas eo reſervo, ut illud ſubſidium ſenectuti parem. Jam enim veteres non in urbe ſolum, ſed in villis, in balneis & thermis bibliothecas ſtatuerant, & multi quidem, non ut eſſent ſtudiorum inſtrumenta, ſed cœnationum ornamenta. *Senec. de tranquil. c.* 9. Alii vero, quia corpori curando otioſe tunc vacabant: & occaſio erat legendi aliquid, hominibus alias occupatis, vel audiendi. Immoderatam tamen libros colligendi cupiditatem jure damnat Seneca *l. l.* his verbis: ſtudiorum quoque, quæ liberaliſſima impenſa eſt, tamdiu rationem habebo, quamdiu modum. Quo mihi innumerabiles libros & bibliothecas, quarum dominus vix tota vita ſua indices perlegit? onerat diſcentem turba, non inſtruit: multoque ſatius eſt paucis te auctoribus tradere, quam errare per multos. Quid enim, ſi hæc ingeniorum opera non in ſtudium, ſed in ſpectaculum, in ſpeciem cultumque parietum comparentur? paretur itaque librorum, quantum ſatis eſt ad curam eruditionis, nihil in apparatum. Sed ne a fabrica ad

XI. *De bibliotheca.*

ad libros dilabamur, præ cæteris amalthei hujus concinnitatem admiror: ſpectat ad orientem, non ſolum quod uſus matutinum lumen exigat, ſed etiam ne libri putreſcant; nam ut Vitruvius *L. VI. c.7.* nobis auctor eſt, quæcunque ad meridiem & occidentem apertiones habent feneſtrarum, tineis & humore libros vitiant, quia venti humidi adventantes procreant illas & alunt, infundentesque humidos ſpiritus pallore volumina corrumpunt. Video pavimentum e cruſtis nitere marmoreis: laquear vero pictis hoſpitalibus Muſis colluſtrari: codices in armariis e ligno nucis polito & vitro obductis cuſtodiri: menſas pluteosque tum ad uſum, tum ad omnem honeſtam elegantiam compoſitos: ſtatuas etiam & imagines doctorum virorum, quarum aſpectu alitur excitaturque ingenium ad diuturnam pretioſi laboris perpeſſionem; neſcio enim qua occulta naturæ vi animique affectu ad effigies trahamur eorum, quorum immortales animæ, ut ait Plinius *l. l.* in locis

XII. *De muſco.* eisdem loquuntur. Urb. Proximum conclave ſedes & officina patri fuit doctarum cogitationum, omni tumultu ſtrepituque liberum, altam quietem in hac placida ſolitudine captanti. Euras. Re ipſa iſte eſt locus non ſolum a ſalubritate cœli & ſitus amœnitate, ſed omnibus numeris opportuniſſimus; ubi non ſolum quæ aures, nares & oculos offendere, ſed & quæ animum avertere poſſent, procul abſunt; Muſæ enim ſilentium & ſolitudinem amant; propterea Cn. Pompejus, confecto Mithridatico bello, intraturus Poſſidonii ſapientiæ profeſſione clari domum, fores percuti de more a lictore vetuit: & faſces litterarum januæ ſubmiſit is, cui ſe oriens occidensque ſubmiſerat. *Plin. L. VII. S.* 31. Urb. Memini & matri & liberis hoc limen attingere nefas fuiſſe; adeo ut etiam in vicino conclavi adventantibus ſui copiam fecerit & familiæ negotiis præfuerit. Philom. Nec enim ſine cauſa poetæ

poetæ Muſis Heliconem & Parnaſſum ad habitandum dederunt, ubi nulli fabrorum pulſus, nulli canum latratus, nulli hominum clamores, plauſtrorum ſtridores nulli interpellarent. Urb. Poſthac ego in illo ruſticis diis perlitabo. Ad tablinum vero luſtrandum inſtruendumque in craſtinum tuam condices operam, quam humaniter promiſiſti. Euras. Faciam, ut, quod optas, eveniat.

DIALOGUS XVI.
DE TABULARIO.

ARGUMENTUM.

I. *Tabularii utilitas.*
II. *Eorundem origo.*
III. *Structura.*
IV. *Mundities.*
V. *Supellex.*
VI. *Præfectus & ſcriba.*
VII. *Eorum officia.*
VIII. *De libris rationum.*
IX. *De libris proventuum.*
X. *De libris expenſorum.*
XI. *De inſtruendo tabulario.*
XII. *Eccleſiaſtico &*
XIII. *Civili.*
XIV. *De libris ad tabularium pertinentibus.*
XV. *De indicis neceſſitate.*
XVI. *De pluribus indicibus conficiendis.*

Urban. Ades, Euraſi, ut horam hanc in tabulario non inutiliter teramus. Euras. Inutilis erit labor, ſi horæ ſpatio circumſcribatur; adeo enim vaſta & neceſſaria eſt ejus cura atque notitia, ut nullo rei œconomicæ officio aut bonum familiæ provehatur præſtabilius: aut peccetur craſſius, & offendatur frequentius, quam ejusdem ſocordi adminiſtratione; adeo magni momenti eſt hujus perfecta curatio. Aliarum ſiquidem rerum, cum negliguntur, una unica eſt jactura: ju- I. *Tabularii utilitas.*

 rium

rium vero, quia tractum perpetuum habent cum peſſumdantur commoda, anniverſarium eorundem neglectu infertur detrimentum. Igitur quemadmodum ad curandas res litterarias excitatæ ſunt bibliothecæ, velut omnium ſcientiarum armamentaria, ita pro defendendis juribus, dominiis, poſſeſſionibus & facultatibus noſtris, nec non pro perpetuanda rerum ſecundum leges & cum auctoritate geſtarum memoria ſunt conſtructa tabularia, in queis chartæ, diplomata, inſtrumenta, velut arma civilia ſeu legalia, eo majori ſolicitudine conſervanda ſunt, quo majori amore res ipſas & jura noſtra optamus ſarta tueri. Propterea talia tabularia etiam auctoritate publica, & in bonum reipublicæ erecta, in quibus nempe magiſtratus tabulas rationum & monumenta rerum in magiſtratu geſtarum, teſte Plinio *L. XXXV. S.* 2. reponebant. Alia vero in privatorum uſum & utilitatem propriam collecta ſunt, de quibus tamen veteres ſcriptores nobis nihil reliquerunt, adeo ut, quæ nobis hodie ad manus ſunt monumenta, non aurei illius, ſed barbari ævi, nec tamen infelix ſint progenies: in quibus proin & alios mores, alia jura & conſuetudines, ſtylum ſcribendi alium, alia demum etiam verba, quam Latina invenies. Nec te offendet ſermonis aſperitas, vocabulorum barbaries, linguarumque confuſio, quæ omnia ætati illi propria; ſi rei utilitatem perpendas & majorum in nos curam. Et quamvis jam Juſtinianus Imp. *l.* 30. *Cod. de epiſcop. audient.* ſanciverit, ut factæ tutorum & curatorum creationes in ipſis eccleſiæ archivis deponantur, ut ſit perpetua rei memoria: in noſtra tamen Germania haud videntur ejusmodi archiva ante Caroli M. aut Ludovici Pii tempora in eccleſiarum ſacrariis conſtructa: aut certe non inveniuntur documenta antiquiora. Seculo autem X. jam fuerunt frequentiora; maxime cum virtute legum Alemannicarum per ejusmodi chartas

II. *Eorum Origo.*

pacta

Digitized by Google

pacta firmitatem acciperent, ac omne ab iis jus penderet. Exarabantur autem plura ejuſdem diplomatis exempla, quorum unum & alterum paciſcentibus tradebatur: tertium vero in chartophylacio eccleſiæ, aut etiam quartum in curia Principis memoriæ conſervandæ gratia deponebatur. Hodie vero non ſolum eccleſiæ & communitates, & quicunque pollent amplioribus fundis, verum & ſolertiores agricolæ, ob hanc diplomatum utilitatem ſuas habent arculas & armaria, in quibus documenta domeſtica poſſeſſionis, tituli, immiſſionis in bona, ſententiæ aut amicæ compoſitionis reponant, nec inerudite ſciant aut obligationes defugere, aut jura infracta tueri. Atque adeo illi, quibus fundus eſt amplior, prædia, vectigalia plura, aut etiam inſignia jura jurisdictionis, non tantum ad conſervanda hujusmodi monumenta ſingulare conclave conſtituant, verum etiam, cum temporis progreſſu pro negotiorum copia chartarum numerum neceſſe ſit in ingentem cumulum excreſcere, tam varii argumenti documenta ad quotidianum uſum & utilitatem in plures claſſes & ordines digerant. Urb. Memoria teneo patrem avumque in hoc opere deſudaſſe plurimum: ego ad exteras regiones profectus, dein ad paterna bona rediens, neſcius in eo tantum momenti eſſe poſitum, nunquam manum admovi. Primo itaque ſtructuram contemplabimur. Euras. Conſpicio tabularium tuum opportuniſſima, ima videlicet ædium parte, poſitum, quod jam antiquis placuit; ac propterea proxime atrium poſuerunt. Sit enim locus & acceſſu facilis, & a tumultu familiæ remotus, & ab incendii periculo tutus: atque ideo teſtudine latericia tectus, & valvis & foribus ferreis clauſus. Decet enim, ut præcipuus facultatum noſtrarum theſaurus ab omni igni vaſtantis discrimine quam maxime ſit ſecurus. Nam eſt hujus elementi ratio fœcunda: ſe ipſa parit & minimis creſcit ſcintillis - -

III. *Structura.*

excedit profecto omnia miracula, ullum diem fuiſſe, quo non cuncta conflagrarent. *Plin. L. II. S.* 111. Quoniam vero ſemper ad ſuperiora tendit, ima ab ejus vi ſunt magis tuta: verumtamen uligini, humoribus & putreſcenti aeri frequenter obnoxia. Ad hæc igitur avertenda incommoda tablinum conſtituatur ſolo ſicciſſimo, ac qui ſit liber ab omni humore & nidore; hinc bene etiam arena ſitiens & cæmentitia ad reſtinguendos vapores ſubſternitur, ductique ex ſicciſſimis lapidibus parietes cum pavimento ſpecillatis lateribus, qui arcendis humoribus & pulveribus maxime idonei, non nunquam veſtiuntur. Feneſtræ nec magnæ ſint, nec multæ, eæque orientem ſolem excipiant, chlathris ferreis munitæ. Commendatur præ cæteris religioſa munditia: in atomum pedem impingere grave piaculum eſto; quoniam his ſordibus nihil deterius: pulvis enim humidus tineas creat, quæ etiam in ipſis chartis naſcuntur: alia autem minima animalia ſordibus a radio ſolis generantur: *Plin. L. XI. S.* 39. *& ſeq.* ſeu ut ſcribit Ariſtoteles *L. V. hiſt. anim. c.* 27. in aridis gignuntur vermiculi, ſi humectentur, & in humidis ſi exiccentur. Simili ratione aer ſtagnans putreſcensque araneos, ſeptipedes, multipedes, oniſcos & cutiones generat: ob quas ſimiles librorum peſtes ſæpius ſereno cœlo admittenda eſt benignior aura. Muſcas quoque arce, ſi poſſis, nam etiam ex his vermiculi gignuntur. *Plin. L. X. S.* 87. Multi abditam quamdam cryptam, ſeu enthecam quamdam ſubterraneam fieri fecere, in qua diplomata & documenta pretioſiora in incurſione hoſtili, aut alio quocunque adverſo caſu ad tempus breve recondant. Sed eadem debet eſſe mundiſſima, ne gravius damnum quam hoſtis, aut ignis afferat. Id vero, quod avide deſiderabam, jam conſpicio procætium quoddam, ſeu conclave, in quo tabularii adminiſtrator, quæ ſunt muneris ſui exequatur, velut hoc expe-

IV. *Munditics.*

expediendis hujuſmodi negotiis apprime commodum, lucidum, clauſum. URB. Gaudeo pleraque monitis reſpondere tuis. EURAS. Jam ſupellex apparanda eſt: ad manus eſto menſa longior, ſuſtinendorum plurium codicum & faſciculorum capax: atramentum non ſolum atrum, ſed & nullo tempore extinguendum corrumpendumve: charta ſeu papyrus, quibus talia negotia velut æri, aut plumbo comittantur, ſit præcipuæ firmitatis, ne tam facile gravi aut domini, aut ſubditorum diſpendio vitium patiatur: pro majoris vero momenti negotiis charta Pergamena vervecina, aut etiam vitulina mundiſſima adhibeatur: cultelli & calami ſcriptorii fideles: pyxis cum pulvere, ſeu oſſea arena: pro libris vero jam compactis charta bibula: forcipes, & ad lineas ducendas norma: circinus: glomi filorum ex lino ductorum: candelabra ex lamina: annulus maximus & minor: cera apiaria & Hiſpanica: gluten piſtum ex farina minio tincta. Quibus in rebus miniſtrorum fidem atque induſtriam ſæpius tentare intereſt. Præter iſta adeſſe jubeto calendarium, in quo ſingulæ dies notatæ ſint, quid qualibet pendendum, recipiendum, denunciandum agendumve ſit: tabulam chronologicam Pontificum, Imperatorum, Principum provinciæ: tabulam genealogicam & heraldicam tuæ familiæ: ephemerides, ſeu commentaria, in quæ acta tui prædii de anno in annum ſint relata: indiculum non tantum prædiorum, ſed omnium perſonarum tum jurisdictioni, tum dominio directo ſubjectarum: librum conceptarum epiſtolarum: denique etiam formulas concipiendorum variorum contractuum, emptionis, venditionis, fidejuſſionis &c. Non exiguæ hic quidem moleſtiæ labor, ſed tamen maximi momenti, cujus fructus ſuo tempore colliguntur. URB. Si non tempus, animus me certo deficeret in tundenda hac incude. EURAS. An anguſtior tibi dies, aut majora & plura nego-

V. *Supellex.*

negotia, ac illi, ad cujus domum duodecim faſces excubabant, M. Tullio, inquam, & J. Cæſari, qui commentabantur indies, aut Auguſto, quem ipſa prœlii Mutinenſis die nec de lectione, nec ſcriptione quidquam remiſiſſe ferunt? Urb.
VI. *Præfectus & ſcriba.* Succumberem ego tot laboribus. Euras. Vigilantia præfecti & fidelis amanuenſis diligentia multo te ſcribendi onere levabit, dabitque magnum temporis quœſtum, quod alias in calamum dilaberetur. Ita tamen hæc per alios agi curentur, ut te ubique aut rebus adeſſe præſentem videant, aut videre vereantur, & minimum, quæ diebus ſingulis agenda ſint, præfinies, &, quæ acta, veſperi releges. Urb. Reſpiro, reſpiro, ſi meæ diligentiæ quandoque ſuccedere poſſit vicarius. Euras, Quibus in rebus ipſi intereſſe non poſſumus, inquit Cicero *orat. pro Roſc.* in his operæ noſtræ vicaria fides amicorum ſupponitur. Urb. Quæ præfecti & amanuenſis munera?
VII. *Eorum officia.* Euras. Villicus operibus præeſt, præfectus juribus, ut hæc proin eidem optime debeant eſſe perſpecta, quid, a quibus, a quo tempore pendendum, recipiendumve ſit: nec non ſingula prædia, vectigalia, perſonas & facultates earum bene noſcat. Curam omnem ad rite dirigendum tabularium, velut Oeconomici corporis animam, conferat: In protocollum acta publica referat: nil ſolvat non recepta ſupputatione & ſyngrapha, quam ſuis locis, ceu cauſam probatam ſolutionis apponat, & diligenter aſſervet: rationes a villico & aliis quibuscunque ſtatutis diebus exigat: quotidianos ſcribæ labores relegat. Cætera potius ad munus œconomi pertinent, quæ proin opportunius de officio villici dicturi, perpendemus. Amanuenſis vero ſingula in tabulas & adverſaria præeunte præfecto referat, illique in perficiendo tabulario ab officiis ſit: ephemerides, pacta, contractus, conceſſiones, chirographa & ſyngrapha conſcribat: omnium proventuum & ex-

Digitized by Google

expenſorum ſuis locis inferat rationem & computationem, ac ſupellectilis conficiat indicem. Sciat autem non ſolum eleganter & celeriter, quod calligraphiam & tachygraphiam, verum emendatiſſime, quod orthographiam appellamus, ac rectiſſime ſcribere, ut hoc in genere numeris omnibus ſit abſolutus; cum in œconomiæ negotio nihil aut pretioſius, aut damnoſius numero. URB. Numero dicis: verum, in quam formam redigendæ tam multæ tam variæ rationes ſint, non minus ſcire percupio. EURAS. Cum, Cicerone teſte *L. II. de offic.* res familiaris quæri debeat his rebus, a quibus abeſt turpitudo: conſervari autem diligentia, & parſimonia, iisdem etiam rebus augeri: ideo in diligenter colligendo & prudenter expendendo totius œconomiæ fundamentum poſitum eſſe ſcias: ſummam autem hujus rei ex libris rationum diſces, quos ſæpius conſulas perluſtrando, quid in ſingulos annos & dies aut diligenter collegeris, aut prudenter expenderis? quid emendandum, quid emendatum ſit? Et quidem, ſi res familiaris ſit curta & modica, omnes tituli brevi manu in duos contrahuntur, acceptorum nempe, & expenſorum. Si vero rerum velut tibi magna ſit copia, ampla villa, cenſus multi, prædia vectigalia plura, aliaque jura plurima, in plures quoque diviſiones putandæ veniunt rationes, ut ſingulæ ſingulas partitiones habeant, quod pridem probavit Cato *c. 2.* oportere ſcribens, rationes putare argentariam, frumentariam, pabuli cauſa quæ parata ſunt: rationem vinariam, oleariam, quid venerit, quid exactum ſit, quid reliquum fiet, quod veneat. Quapropter ſingulis partitionibus ſingulares deſignandæ ſunt plagulæ, pro materiæ ubertate aut plures, aut pauciores. Et primo quidem loco veniant rationes argentariæ, ſeu proventus numeratæ pecuniæ, quales ſunt uſuræ annuæ ex ſumma capitali, cenſus, canones, laudemia, decimæ argentariæ, pen-

VIII. *De libris rationum.*

IX. *De libris proventuum.*

penſiones, merces ex locatione &c. Poſt has ponantur rationes rerum in pecunias redactarum: & primo frumentariæ, quot modii tritici, ſiliginis, hordei, avenæ, ſagopyri, & quo pretio venditi. Eodem modo notabuntur proventus ex fructibus minoribus, lino, fabis, eruis, phaſeolis, lupinis &c. Aliæ rationes ducantur ex re pecuaria in pecunias redacta, qui boves ſaginati, vaccæ, vituli, oves, capreoli, & quo pretio venditi: quantum lactis, aut ejus floris, butyri, caſei &c. venditum. Aliæ, quantum æris ex villatica paſtione provenerit, exempli cauſa, ex pavonibus, gallis indicis, columbis, anſeribus, anatibus, pullis, caponibus &c. Aliæ, quantum ex fructibus hortenſibus, ex floribus ſcilicet, oleribus, lactucis, leguminibus, pomis, pyris &c. Aliæ, quantum pecuniæ ex ſilva, quæ aſſulæ, ſcandulæ, aſſeres, pali, trabes, ligna ad focum &c. Atque ſimili modo putantur rationes vinariæ, oleariæ, aut quæ obveniunt ex paſcuis, venatione, piſcinis &c. adjuncta tum ſingulis menſibus, tum in exitu anni ſumma, ut videri poſſit, quæ non ſolum ſingulis annis majora minorave emolumenta, ſed quomodo etiam pretia rerum creſcant, vel decreſcant. In alio libro ducantur rationes ipſorum fructuum illatorum, in quo notetur, quot modii tritici, ſiliginis, hordei &c. illati ſint, tum ex propria ſemente, tum ex decimis, tum ex cenſu &c. & in fine cujusque generis ducatur computatio, ut poſtea accepti expenſique, nec non reſidui ſumma paucis numeris ob oculos verſetur. Eodem modo aliæ conſcribantur pro fructibus minoribus, pro illato lino, fabis, piſis, lentibus, ciceribus, erviliis &c. Aliæ pratorum, quot ex quolibet prato illatæ vecturæ fœni tum primi, tum autumnalis: quot pro equis, pro bobus, pro vaccis &c. deſtinatæ. Aliæ pecuariæ, qui fœtus equarum, vaccarum, porcorum, ovium &c. editi: quis pecoris numerus,

quæ

quæ factæ permutationes, acceſſiones &c. Atque eodem modo aliæ pro villatica paſtione, pro fructibus hortenſibus, aliæ pro ſilva, aliæ pro venatione &c. Urb. Gaudeo hac ſilva proventuum. Euras. Non minor erit expenſorum. Urb. Terres me. Euras. Et tamen adnotare ſingula neceſſe eſt. Velut enim bona ordinatio contubernii ſeu familiæ ſita eſt in diſtributione rerum, officiorum, & perſonarum, ut quæque res in domo ſuum habeat locum, & quisque locus ſuam habeat rem, quo appareat ſtatim, quid abſit, quid adſit: item quisque domeſticus ſuum munus, & quodque munus ſuum miniſtrum, ne reſpectando alius alium omnes agant incurioſe: ita bona rei familiaris adminiſtratio conſiſtit in recto acceptorum, ac multo magis etiam expenſorum ordine & diſtributione, ut ſingula habeant ſuum locum, rationem & munus, quæ olim quæſtorum ærarii provincia fuit. *Tacit. L.XI. c.* 22. *Annal.* Sic enim ipſe Auguſtus quoque non ſolum ærarium militare inſtituit, ut perpetuo ac ſine difficultate ſumptus ſuppeteret, ſed & rationes imperii publice propoſuit. *Sueton. in Auguſt. c.* 49. Appianus quoque integrum librum conſcripſit, qui quidquid in dandis ludis, in operibus, in magiſtratibus & officiis expenſum, quive proventus & pecuniæ per ſingulas gentes capiebantur, continebat. Urb. Quas igitur in exigua mea republica expenſarum partitiones faciendas eſſe ducis? Euras. Hæc quamvis non magna, liber tamen expenſorum non erit minimus. Primo enim in hunc referendæ ſunt expenſæ argentariæ quæcunque, ſed varios in titulos dividendæ, inſertis ſuis in locis apochis, quæ ſemper ob mortalis vitæ conditionem & lubricæ memoriæ atque fidei periculum exigenda, qua creditor de accepto te ſecurum reddat. Aliæ igitur conſcribantur expenſæ factæ nomine tributorum, vectigalium, collectarum, decimarum, canonis, laudemii &c.

X. *De libris expenſorum.*

Aliæ, quæ factæ nomine menſæ tum domini, tum famulorum: addito pretio, numero, pondere, ſeu menſura. Aliæ nomine veſtimentorum &c. cum apochis mercatorum, ſartorum, ſutorum &c. Aliæ nomine fabricæ ſeu novorum ſeu reſtauratorum ædificiorum, quid in materiam & apparatum, quid in fabros murarios, lignarios, ferrarios &c. impenſum. Aliæ nomine ſalariorum, quæ pro famulis omnis generis factæ. Aliæ nomine opificum, vitriarii, figuli, lorarii, rotarii &c. aut urbanam, aut ruſticam ſupellectilem reficientium. Aliæ nomine venationis, quæ in comparata arma & inſtrumenta, in fœtum piſcium & ferarum &c. factæ. Aliæ nomine piarum cauſarum, pro templis, pro pauperibus, peregrinis, viduis, pupillis &c. Præter has argentarias contexendæ ſunt etiam aliæ frumentariæ, pecuariæ, vinariæ &c. in quibus adnotetur, quot cujusvis generis frumenti pro menſa domini, pro villico & famulis, pro ſemente ſubminiſtrati modii, quot & quo pretio venditi &c. quæ pecora pro culina mactata, vendita, perdita &c. Urb. Quot non mihi cum rationibus depugnandum eſt! Euras. Et hac, nec alia via, recte rationem tenebis. Hi autem labores in procœtio ſeu atrio perficiuntur; quo relicto jam ipſum tablinum ſubeamus: ejus ſtructura tam perfecta, ut nec addere quidquam poſſem, nec adimere: ſcriniola quoque tam concinne compoſita, ut una feries ſera claudi & aperire unica, nec non quælibet facili negotio tecto cooperta poſſit transferri. Sed quid iſta ſtrues, rudis indigeſtaque moles chartarum? ſparſa diſperſaque ſine ordine temporis & argumenti, ſine ulla diſpoſitione jacent omnia. Quam utilitatem ſperem ex inextricabili hoc Labyrintho? ne Argus quidem inveniet, ſi quam forte ſcripturam requiram: quærere enim quidquam horum jam Herculis labor ſit,

XI. *De inſtruendo tabellario.*

- - diram

- - - - diram qui contudit Hydram,
Notaque fatali portenta labore ſubegit.
Horat. L. II. Epiſt. 1.

Itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia, quam diligentia: quis enim dubitet, nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ diſpoſitione, atque ordine? *Colum. L. XII. c.* 2. Urb. Quid eſt ordo? Euras. Multitudo quædam compoſita, ita unius corporis ſingula membra digerens, ut reddantur ad ſuum munus habilia. Tu vero barbarum quemdam habere mihi videris exercitum, quem, quia ſine ordine, inutilem multitudinem vocabat Alexander. Urb. Age igitur, diſpone & in ordinem redige legiones, cohortes, manipulos. Euras. Quoniam tabularii cura multum ad rem œconomicam confert, paucis præſtabo, ut eo citius ad rus redire nobis liceat. Et quia tabularium non profana tantum jura & negotia, ſed etiam ſacra, maxime in locis ſacris, continet, ideo his prima facies ſeu præcipua dicetur, voceturque tabularium eccleſiaſticum: alterum civile, in quo tabulæ & documenta publica & privata, ac jura rei noſtræ familiaris recondantur. Ne vero facta etiam hac diviſione copia confuſionem pariat, plura vides ſcrinia ſeu armaria, quorum ſingulis præfigatur argumentum, ſeu titulus documentorum in eo contentorum: poſt hunc etiam numerus ſcrinii affixæ chartæ Pergamenæ inſcriptus; & Romanus quidem in tabulario eccleſiaſtico: Arabicus vero in tabulario civili. Ipſa dein documenta, poſtquam aut in eccleſiaſtica, aut civilia diſcriminata ſunt, in titulos ſcriniis præfixos dividuntur, ac ad chronologiæ leges, ita ut antiquiora præferantur recentioribus, compoſita ſeu in ordinem redacta in extera facie ſequentibus notationibus ſignantur. Primo itaque inſcribatur majuſculis litteris numerus ſcrinii, ad cujus titulum pertinet, exempli cauſa N. I. ex quibus digno-

ſces pertinere ad ſcrinium primum tabularii eccleſiaſtici. Si vero faciat ad ſcrinium primum tabularii civilis, his characteribus ſignetur: ℜ. 1. Hujus autem ſcrinii (atque eodem modo omnium reliquorum) documentum primum, ſeu ſecundum chronologiam antiquiſſimum notetur littera A. ſecundum littera B. tertium littera C. atque ſic reliqua ſecundum ordinem litterarum, quæ duplicari etiam poſſunt, ſi in eodem ſcrinio plura ſint quam viginti quatuor documenta, exempli cauſa AA. Quodſi ad eandem litteram plura pertineant inſtrumenta, quæ ſeparari haud facile poſſunt, & ſunt velut appendices ad principale, velut ſe habent ad rationes ædificii variorum opificum apochæ, eædem addito, minuſculis litteris ℜ. 1. ℜ. 2. ℜ. -- deſignentur, ac filo in unum faſciculum colliguntur. Hac obſervata numerorum & litterarum diverſitate documentum quodlibet & ab altero diſcernitur & proprium ſibi locum facile poteſt invenire. Denique in quolibet ſcrinio reponatur indiculus contentorum illic documentorum, addito tum numero majori ſcrinii, tum littera, tum, ubi videbitur, etiam numero minori. Jam exempla quædam materiarum ſeu titulorum afferam, qui ſcriniis ſunt inſcribendi, ſeu in quos documenta poſſunt dividi. Et primo in tabulario eccleſiaſtico:

XII. *Eccleſiaſtico.*

Fundatio. Contineat armarium iſtud conditi templi, monaſterii, parochiæ documenta, litteras fundationis, confirmationis, immiſſionis, inveſtitionis, poſſeſſionis &c.

Privilegia. Exemptiones & immunitates a decimis, collectis, vectigalibus &c.

Conſecratio & Patrocinia. Litteras conſecrationis eccleſiarum, altarium: translationes dedicationis, immutationes: Patronorum SS. reconciliationes: cœmeterii benedictiones &c.

Indul-

Indulgentiæ. Bullas indulgentiarum, tum vigentium, tum extinctarum, procurationes, publicationes earundem &c.

Confœderationes. Pia fœdera, pacta, congregationes: quibus conditionibus, approbationibus, privilegiis, ſumptibus: præfectos, præſides, numerum confœderatorum, nomina defunctorum: annuas rationes &c.

Divina officia. Litteras fundationis, anniverſariorum, miſſarum, concionum &c.

Donationes. Cenſus perpetui, juris, prædii, rerum mobilium, & ſub quibus oneribus v. g. conſervandi perpetui luminis &c.

Jus patronatus. Hujus titulum, uſum, poſſeſſionem: litteras præſentationis, nominationis, admiſſionis: quæ in his obſervata, quæ obſervanda &c.

Limites. Deſignationes, deſcriptiones limitum: actus poſſeſſorios, conventiones: poſitiones lapidum: quo ordine: quo ſumptu &c.

Aſylum. Ejus jus, poſſeſſio, limites: quæ delicta eo gaudeant: nomina eorum, qui gaviſi ſunt: quos ſumptus refuderint: litteras libri commeatus &c.

Decimæ. Titulum earum, poſſeſſionem: novalia &c.

Collectæ. Subſidia charitativa, cathedratica: contributiones decimales cum apochis &c.

Rationes. Eccleſiæ annuas: quæ in his obſervanda, quæ emendanda &c.

Fabrica. Ejus rationes cum apochis in eccleſia Tiburtina: quorum ſumptu ædificia reficienda &c.

Inventarium. Referat ſupellectilis ſacræ, aliarumque mobilium rerum indiculos &c.

Oeconomus & ædilis. Jus conſtituendi ſuſcipiendique: fidejuſſiones & cautiones: inſtructionem: obligationes & commoda utriusque &c. *Noſo-*

Noſocomium. Fundationes, donationes: numerum & conditiones ſuſcipiendorum: victum, veſtitum, obligationes eorum: inſtructionem præfecti, miniſtrorum: rationes &c.

Decreta. Pontificum, Epiſcoporum, ſacri officii &c.

Viſitationes. Inſinuationes, introductionem, ordinem, examen, ſumptus, relicta &c.

Commiſſiones. In cauſa ſponſaliorum, matrimonii, decimarum, abſolutionis a cenſuris &c.

Actiones. Fori eccleſiaſtici cum omnibus actis.

Teſtimonia. Natalitia: ſtudiorum: graduum Academicorum: SS. ordinum: commiſſæ curæ paſtoralis: collatæ parochiæ &c.

Obitus. Pontificis, Principis, Epiſcopi, Abbatis, Parochi: quæ divina & pompa obſervanda: de ſumptibus funeris: de jure ſepulchri &c.

Electio. Quæ in electione, confirmatione, inſtitutione Abbatis, Canonici &c. obſervanda.

Studia. Contineat ſtudiorum primam inſtitutionem, methodum, progreſſum, inſtaurationem: quæ abrogata, quæ emendanda: ſumptus &c.

Quæ omnia pro materiarum copia aut inopia in plura ſcrinia diſtribui poſſunt, aut pauciora. Jam & quædam exempla titulorum pro tabulario civili proferam:

XIII. *& Civili.* *Statuta provincialia.* In hoc ſcrinium conjiciuntur: libellus conventionis inter Maximilianum I. & ordines provinciæ: concordata inter Principes Tyrol. & Epiſcopum Trident. & Brixin. Statutum Tridentinum: ſtatutum municipale Caldarienſe, trium præfecturarum in finibus Bavariæ: conſuetudines antiquæ communitatum Vilandri, montis Ritini,

Ritini, & Maleti ſub Mainhardo Duce Carinth. Com. Tyr. Sanctiones pragmaticales &c.

Decreta Principum. Pro adminiſtranda juſtitia: in re monetaria: pro cultura agrorum, lignorum &c. ordinationes politicæ &c.

Provincialia. Comitia, rationes, receſſus, gravamina, jura, privilegia &c.

Contributiones. Origo, modus, ordo &c. cum ſyngraphis.

Familiaria. Diplomata nobilitatis, arbor conſanguinitatis, officia publica, gradus honoris, pacta familiæ, pacta dotalia, teſtamenta, legata &c.

Prædia. Et fundi familiæ cum omnibus juribus: ſi plura fuerint ejusmodi prædia, etiam ſingulis tribuatur proprium ſcriniolum v. g. Anconitanum, Bajanum, Caprenſe, Drepanum &c. in quo ejusdem prædii documenta, jura, limites, privilegia, ſingularia dominia, liguandi, venandi, paſcendique jura deſcribantur.

Prædia vectigalia, ſeu emphyteutica cum inſtrumentis tituli, poſſeſſionis, ſubjectionis &c. cum immiſſionibus, reverſalibus emphyteutarum, mutationibus, remiſſionibus, cæterisque juribus: & ſi operæ pretium, ſingulis prædiis proprium deſignetur armarium.

Obligationes fundi pro cenſibus, pro cauſis piis, canone, laudemio, tributo cum apochis.

Jus venandi & piſcandi: titulus, poſſeſſio &c. edicta & pœnæ in fericidas: inventarium armorum venaticorum: inſtructio venatoris &c.

Jura jurisdictionis. Inſtrumenta tituli, poſſeſſionis: modus, forma, numerus, litteræ reverſales &c. talia ſunt, jus concedendi focum, tabernæ, ſuſcipiendi opifices.

Nomina activa. Seu credita cum chirographis, fidejuſſionibus, hypothecis &c.

Nomina paſſiva. Seu æs alienum, quod vacare cupio ſcriniolum, ac ut in eo expuncta tantum nomina pro poſterorum memoria cum apochis aſſerventur.

Inventaria. Seu index totius ſupellectilis prædii urbani & ruſtici, officinarum, ſtabulorum &c.

Salaria & inſtructiones. Miniſtrorum, præfecti, prætoris, villici, famulorum &c. Alii, qui occurrere poſſunt, tituli ſunt: *Mola: Officina ferraria: Fontes & aquæductus: Lapicidinæ: Fodinæ limi & ſabuli: Viæ: Pontes: Ripæ: Libelli ſupplices: Actiones fori* &c. &c. quos prætereo, quibus alia & alia pro rerum copia dicari debent ſcrinia.

XIV. *De libris ad tabularium pertinentibus* URB. Sunt duæ adhuc facies officio vacuæ, quod illis deſignas munus? EURAS. Quam probe iſtæ ac prorſus ad meam mentem non ſcriniolis, quæ litteris & faſciculis, ſed forulis, qui recipiendis libris magis idonei, inſtructi ſunt, ut illa facies libris ad tabularium eccleſiaſticum (velut ſunt libri baptizatorum, conjugatorum, defunctorum, annales ſacri) hæc ad tabularium civile pertinentibus, inſerviat, quales ſunt protocolla, rationes, urbaria, ephemerides, aliaque ſcripta, quæ ob rerum copiam & connexionem in codices majori forma compingere ſolemus. URB. Quantum momenti poſitum ſit in his chartis, quibus totius œconomiæ cauſa vertitur, agnoſco: ſed uſum earum nondum video, etſi in tot, aut centum alia armaria diſpoſuero chartinacium hunc exercitum, cujus excubiis res ſacræ ſtant & profanæ. EURAS. Id quoque amicitiæ tuæ dabo: ſed rogo obteſtorque, animum capias durum ac laboribus aſſuetum: niſi enim conſtantiſſimus ſis, te repente abripiet, ingens, turbulentum & verticoſum, quod

XV. *De indicis neceſſitate* ſuperandum eſt, mare. URB. Da, quæſo, vaſtiſſimi laboris indi-

indicem. EURAS. Rem acutetigiſti. URB. Da, inquam, indicem hujus artis. EURAS. Jam tenes, ajo, quid quæris? URB. Cave, luſeris expectantem. EURAS. Nil opus jurejurando: in cæteris time perfidiam, hac in re non fallo. Indicem, indicem, inquam, ſeu lexicon rerum, perſonarum, locorumque his in diplomatibus omnibusque documentis contentorum. URB. Et hic tantus labor, quo Odyſſeam implere poſſimus? EURAS. Grave, moleſtum, ac diuturnum eſt opus, ut luſtrum integrum huic tædio projiciendum cenſeam, mallemque ad metalla, quam ad hæc tranſtra damnari. Si verbis meis fidem non adhibes, Scaligerum audi, qui in eos, qui conſcribendis lexicis, ſeu ejusmodi locupletibus indicibus dant operam, hoc epigrammate luſit:

Si quem dura manet ſententia judicis olim
Damnatum ærumnis ſuppliciisque caput;
Hunc neque fabrili laſſent ergaſtula maſſa:
Nec rigidas vexent foſſa metalla manus:
Lexica contexat. Nam cætera quid moror? omnes
Pœnarum facies hic labor unus habet.

XVI. *De pluribus indicibus conficiendis.*

URB. Quos igitur & quot tu mihi indices? EURAS. Ne tu uno digito rem omnem monſtratam arbitrere: plura ſiquidem ſunt negotia, quibus omnibus indagandis unus unicus, quamvis longior, minus aptus eſt indiculus. Tentandæ igitur plures ſunt viæ, ut ad metam pertingamus, quæ explicatu quidem breves & faciles, ſed factu moleſtæ & difficiles. URB. Brevi igitur & facili negotio defungere: aſperum vero & diuturnum opus mihi relinque. EURAS. Primum igitur indicem ſcriniorum voco, ſeu materiarum, prout hæc in diverſa ſcrinia eſt diſtincta: eidem præmittitur inſcriptio, ſeu titulus, & numerus ſcrinii: dein incipies a primo diplomate, ſeu inſtrumento littera A. ſignato atque ſecundum temporis

Digitized by Google

ordinem ſummatim explicabis argumentum illius documenti ejusdem ſemper aut in fronte, aut margine addendo litteras: quo confecta procedes ad cætera. Urb. Capio. Euras. Hoc labore per totum tabularium feliciter ſuperato ad lexicon rerum, quarum vel in uno diplomate ſæpe plures occurrunt, conferes operam, quas omnes poſtea in ordinem litterarum ſeu alphabeticum rediges, laudato ſemper ſimul diplomatis numero & littera. Exemplum ſit vocabulum: *Altare.* Et adnotabis hæc, aut ſimilia: Altare conſecratum in honorem D. Pauli - - - Altare profanatum ab hoſtibus - - - Altare habens indulgentias - - - Altare reſtauratum ſumptibus communitatis - - - Ex tabulario civili exemplo ſerviat vocabulum: *Abies.* Et hæc forte memoratu digna, aut ſimilia adjunges: Abies inſigne ſcuti gentilitii - - - Abiem cædere prohibetur - - - Abies terminus in ſilva - - - laudatis ſemper ut dixi numero ſcrinii, & littera inſtrumenti. Urb. Catenatus profecto labor & omni labore laborioſior: plane tamen utilis, immo neceſſarius. Euras. Index tertius exhibeat nomina propria & familiarum tam virorum, quam fœminarum, quæ in diplomatibus occurrunt, ita ut, notato ut prius ſcrinii numero & littera documenti, illius viri vel fœminæ acta & memoria paucis referatur exempli cauſa: *Balbus Cornelius* Miniſterialis - - - Teſtis ſubſcripſit in diplomate Frederici - - - Ducit Berenicem - - - Diem ſupremum obit Veldidenæ - - - Urb. Hunc quoque laborem confectum fuiſſe, quis ſibi non gratuletur? in perficiendo tamen rerum varietas ſatietatem arcebit. Euras. Quartus index repræſentet lexicon quoddam geographicum, urbium, fluminum, rivorum, oppidorum, arcium, montium, prædiorum &c. Exemplum dabit vocabulum: *Veldidena.* dicta Velten & Vilten - - - Wilthina demum - - - Antiqua Romanorum

Digitized by Google

manorum colonia - - - Multas habet antiquitatis reliquias - - - Urb. Multam facio & hanc induſtriam. Euras. Quintus denique a primo ſeu antiquiſſimo diplomate per annorum ſeriem in præſens tempus, argumento cujuslibet ſummation relato, deducendus, nulla habita conſideratione ad materiam, ſed ad chronologiam tantum. Exemplo ſit: 1152. Henricus Leo Bav. Dux duos manſus eccleſiæ D. Laurentii donat - - - 1153. Indulgentiæ ab Eugenio III. Calend. Febr. conceſſæ - - - 1154. Fridericus I. in Italiam proficiſcens cum exercitu confirmat privilegia - - - Urb. Satur jam prope ſum: an nondum in exitu res eſt? Euras. Summam manum expectat. Adjungas nempe etiam ad totius operis perfectionem indiculum ſextum, qui ſecundum ordinem alphabeticum, ut vulgo vocant, exhibeat vocabula, modos loquendi, ſeu phraſes diplomaticas cum brevi explicatione, quæ in tuis documentis occurrunt, exempli cauſa: *Manſus* quid ſit? - - - *Hoffmarchiæ* jura quæ ſint? - - *Mallum* quid ſit? - - - Jam non ſolum manum de tabula, ſed & tabulario pedem efferamus. Urb. Cras illaturi in villam ruſticam.

DIALOGUS XVII.
DE VILLA RUSTICA.

ARGUMENTUM.

I. *De ſitu ædium villici.*
II. *De cubiculis & culina.*
III. *De venuſtate &*
IV. *Situ oporothecæ.*
V. *De ſitu areæ.*
VI. *De variis modis exterendi frumenta.*
VII. *De ſtructura areæ.*
VIII. *De nubilario.*

I. *De ſitu ædium villici.* Euras. Abſolvimus quæ ad villam urbanam pertinent, ordo nos ad ruſticam ducit. Urb. Et quidem per brevem viam, ſed longe lætiſſimam, adeo ut ipſius proſpectus jucunditas tædium itineris minuat. Euras. Nec eſt, ut de ſalubritate aeris, ſitus conditione, aquæ neceſſitate, quæ in ſuperioribus tradidi, repetam. Illud vero Catonis monitum etiam de villa ruſtica & ſæpius recolo: quo neque fundus villam quærat, neque villa fundum. Ruſticæ igitur etiam ædes famulorum & ſtabula pecoris numero, atque horrea amplitudini meſſis reſpondeant. Vitandum eſt autem, quod plerique fecerunt aquæ cauſa, villas infimis vallibus mergere, & paucorum dierum voluptatem præferre habitatorum ſaluti: quod etiam magis metuemus, ſi provincia, quam colimus, de morbis æſtate ſuſpecta ſit. *Pallad. L. I. c.* 16. Video vero in hac tua villa illud Varronis *L. I. c.* 12. belliſſime obſervatum: dandum opera, ut potiſſimum ſub radicibus montis ſilveſtris villam ponas, ubi paſtiones ſint laxæ, ita ut contra ventos, qui ſaluberrimi in agro flabunt. Quæ poſita eſt ad exortus æquinoctiales aptiſſima, quod æſtate habet umbram, hieme ſolem. Igitur familia, ubi verſetur, providendum, ſi feſſi opere, aut frigo-

frigore, aut calore, ubi commodiſſime poſſint ſe quiete recuperare. *Id. l. l. c.* 13. URB. Hortus & pomaria haud procul aſſident. EURAS, Prorſus ad guſtum Palladii, qui *L. I. c.* 8. ait: ſtudendum præterea, ut hortis & pomariis cingi poſſit, aut pratis. Sed & totus fabricæ tractus unius lateris longitudine, in quo frons erit, meridianam partem reſpiciat, in primo angulo excipiens ortum ſolis hiberni, & paululum ab occidente avertatur hiemali. Ita proveniet, ut per hiemem ſole illuſtretur, & calores ejus æſtate non ſentiat. Forma tamen debet eſſe ejusmodi, ut ad habitationem breviter collectas & æſtati & hiemi præbeat manſiones. Quæ hiemi parantur, ita ſint conſtitutæ, ut poſſit eas hiberni ſolis totus propemodum curſus hilarare. Imprimis pavimenta opportuna eſſe debebunt. *Ib. c.* 9. Præterea ſtudendum eſt in agreſti fabrica, ut multa luce clareſcant. Deinde ut partes temporibus diviſas - - congruis partibus offeramus, id eſt, æſtivas ſeptemtrioni, hibernas meridiano, vernas & autumnales orienti. *Ib. c.* 12. URB. Ædificia villæ ruſticæ cum ſint aut ædes villici, aut frumentariæ, aut ſtabula, ordo rerum poſtulat, ut a domo incipias. EURAS. Igitur præcipuæ tibi curæ ſit, ne familia male habeat, ut cum opere faciendo laſſa domum redierit, non ſolum cibo reficiatur, ſed calore algoreque afflicta pro capienda nocturna quiete habitatione commoda recipiatur. URB. Hic virorum vides conclavia, illic mulierum: iſthic villici & commune omnibus cœnaculum cum culina. EURAS. Multum in hac partitione, etiam in villa ruſtica poſitum; nam, ut bene ſcribit Columella *L. XII. c.* 2. quod excelſiſſimum eſt conclave, pretioſiſſima vaſa & veſtem deſiderat: quod denique horreum ſiccum atque aridum, frumentis habetur idoneum: quod frigidum, commodiſſime vinum cuſtodit: quod bene illuſtre, fragilem ſupellectilem, atque ea poſtu-

II. *De cubiculis & culina.*

lat

lat opera, quæ multi luminis indigent. Urb. Villici conclave proximum oſtio poſuere: paſtoris ſtabulo: cæterorum granario. Euras. Villici proxime januam cellam eſſe oportet, inquit Varro *L. I. c.* 13. eumque ſcire, qui introeat, aut exeat noctu, quidve ferat. Et Columella *L. I. c.* 6. ob easdem cauſas procuratori ſupra januam conclave conſtituit, ut villicum poſſit obſervare. Bubulis paſtoribusque cellæ ponantur juxta ſua peccora, ut ad eorum curam ſit opportunus excurſus. Omnes tamen quam proxime alter ab altero debent habitare, ne villici diverſas partes circumeuntis ſedulitas diſtendatur, & ut inter ſe diligentiæ & negligentiæ cujusque teſtes ſint. *Colum. l. l.* Urb. Ex qua materia parietes cubiculorum fieri maxime probas? Euras. Cameras in agreſtibus ædificiis ex ea materia utilius erit formare, quæ facile invenietur in villa. *Pallad. L. I. c.* 13. Veteres enim illi, ut advertit Varro *l. l.* providebant, ut eſſent in villa hujuscemodi, quæ cultura quæreret, laudabaturque, ſi habebat culinam ruſticam bonam, præſepias laxas &c. Urb. Quam dicunt culinam bonam? Euras. Magna & alta culina ponetur, ut & contignatio careat incendii periculo, & in ea commode familiares omni tempore anni morari queant. *Colum. l. l.* Nam apud Romanos non erat familiæ ruſticæ commune cubiculum, ſed omnia in culina perficiebantur; hinc denuo Varro *l. l.* culina, ait, videndum, ut ſit admodum apta, quod ibi hieme antelucanis temporibus aliquot res conficiuntur, cibus paratur, ac capitur. Quamvis vero hæc & plura alia, quæ prætereo, a moribus noſtris receſſerint, ad alios uſus bene paratur culina magna & alta.

III. *De venuſtate.*

Urb. Amplo, cui villa adjacet, condendis fructibus pomario hanc, quam vides, aulam ſtatuere officii ſui dignitate ac emolumento, quod profert, majorem. Euras. Sunt pyra pomaque haud inter exiguas rei ruſticæ

Digitized by Google

ruſticæ opes, quæ modica impenſa ac ſimplici cultu velut ſponte naturæ beneficio gignuntur, redduntque laboris pretium cum fœnore. Propterea veteres illi abjectis omnibus deliciis ad ruſticam quamdam parſimoniam compoſiti, ac maxime ab omni ædificiorum ruſticorum luxu abſtinentes, in parandis tamen ejusmodi conditivis nunquam reſtrictiores fuere, tenaces, aut ſordidi, ut ea etiam marmore obtexerint, non ad conciliandum quemdam ornatum, ſed frigus. Velut ad Cn. Tremellium Scrofam multi ſpectatum veniebant, non ut apud Lucullum, ut videant pinacothecas, ſed oporothecas. *Varr. L. I. c.* 2. Ideoque in iis cameras marmorato, & parietes pavimentaque faciunt, quo frigidius ſit: in quo etiam quidam triclinium ſternere ſolent cœnandi cauſa. Etenim in quibus luxuria conceſſerit, ut in pinacothece faciant, quod ſpectaculum datur ab arte, cur non, quod natura datum, utantur in venuſtate diſpoſita pomorum? præſertim quidem, cum id non ſit faciendum, quod quidam fecerunt, ut Romæ coempta poma rus intulerint in oporothecen inſtruendam convivii cauſa. In oporothece mala manere putant ſatis commode: alii in tabulis, ut in opere marmorato: alii ſubſtrata palea, velut etiam floccis. *Varr. L. I. c.* 59. Cæterum eſt locus iſte ſervandis fructibus maxime opportunus & a natura & arte, atque omni, quam Varro & Plinius requirit, inſtructus conditione. Urb. Quæ illa? Euras. Conditiva mala ſtruthea - - - hæc omnia in loco arido & frigido ſupra paleas poſita ſervari recte putant. Et ideo oporothecas qui faciunt, ad Aquilonem ut feneſtras habeant: atque ut ea perflentur, curant. Neque tamen ſine foriculis; ne, cum humorem amiſerint, pertinaci vento vieta fiant. *Varr. l. l.* Plinius vero *L. XV. S.* 18. eadem de re hæc nobis documenta reliquit: in univerſum vero de pomis ſervandis præcipitur

IV. *& ſitu oporothecæ*

De Re Ruſtica. E e (loca,

(loca, in quibus poma ſervantur) in loco frigido ac ſicco contabulari, ſeptemtrionalibus feneſtris ſereno die patere: Auſtros ſpecularibus arcere: Aquilonis quoque afflatu poma deturpante rugis. Urb. Ain', ſpecularibus arcere Auſtros? quæ illa? Euras. Dubitas, noſtro ævo vitreas oportere eſſe feneſtras? an eaſdem etiam his verbis deſignaverit Plinius, anceps hæreo, incertus animi, an earum uſus Plinii ætate jam cognitus? quamvis enim *L. XXXVI. S.* 66. *ſeq.* velut novitium inventum referat cameras ex vitro factas: hæ tamen potius videntur ex teſſelato ſeu Muſivo opere contextæ, non feneſtræ, has enim ſuſpicor adhuc ex lapidibus translucidis fuiſſe, aut velo, aut linteo, quod pro voluntate & dimovere licuit, & adducere. Urb. Noverunt tamen vitrum malleo ducere in laminas. Euras. Crebriori id potius, quam certiori fama vulgatum fuiſſe ſcribit: ferunt, inquiens, Tiberio principe excogitatum vitri temperamentum, ut flexibile eſſet, & totam officinam artificis ejus abolitam, ne æris, argenti, auri metallis pretia detraherentur: eaque fama crebrior diu, quam certior fuit. Vides, quam timide Plinius id referat potius, quam aſſerat: at certe de feneſtris ex vitrea lamina ductis non facit mentionem. Urb. Villici ædibus proxime ſubjaceat area cum horreis. Euras. Quam apte ad leges antiquorum: area, ſi competit, Columella monet *L. I. c.* 6. ita conſtituenda eſt, ut vel a domino, vel certe a procuratore deſpici poſſit. Et Palladius *L. I. c.* 36. area longe a villa eſſe non debet & propter exportandi facilitatem & ut fraus minor timeatur, domini vel procuratoris vicinitate ſuſpecta. Urb. Hujus meæ LVI. pedes longæ & XI. latæ exaſciatis trabibus inter ſe commiſſis jam XX. annis conſtantis probant fabricam, quod in præſens ſervet, quod ille de viro bono:

V. *& Situ areæ.*

Ne

Ne quid hiet, ne quis protuberet angulus, æquis
Partibus ut colant, ne quid deliret amuſſis.

Auſon. Idyll. 16.

Neſcio vero an ſtructuræ genus etiam antiquorum præceptis conveniat? Euras. Id quidem minime: nec mirum, cum nec modus exterendi frumentum eorum moribus conveniat. Meſſis ipſa alibi tribulis in area, alibi equarum greſſibus exteritur, alibi perticis flagellatur. *Plin. L. XVIII. S.* 72. Urb. Quid tribula, ſeu tribulum? Euras. Genus vehiculi omni parte dentatum, unde teruntur frumenta, quo maxime in Africa utuntur. *Serv. in L. I. Georg.* Varro autem *L. I. c.* 52. his verbis explicat: e ſpicis in aream excuti grana: quod fit apud alios jumentis junctis ac tribulo: id fit e tabula lapidibus, aut ferro aſperata, quæ impoſito auriga, aut pondere grandi trahitur jumentis junctis, ut diſcutiat e ſpica grana: aut ex aſſibus dentatis cum orbiculis, quod vocant ploſtellum Pœnicum: in eo quis ſedeat, atque agitet, quæ trahant, jumenta, ut in Hiſpania citeriore, & aliis locis faciunt. Apud alios exeritur grege jumentorum inacto, & ibi agitato perticis, quod ungulis e ſpica exteruntur grana. Columella *L. II. c.* 21. pariter aſſerit, ſpicas poſſe vel baculis excuti, vel exteri pecudibus. Apud nos vero, ut ignorare non poteris, illa ſola tritura obtinet, qua frumentum in area perticis flagellatur. Urb. Et hanc præ cæteris probas? Euras. Qua ratione alias præferam, quarum uſum & commodum ignoro? Urb. Edic tamen, quæ forma areæ apud veteres. Euras. Aream eſſe oportet in agro, ſublimiori loco, quam perflare poſſit ventus: hanc eſſe modicam pro magnitudine ſegetis, potiſſimum rotundam, & medio paulo extumidam (ut ſi pluerit, non conſiſtat aqua, & quam breviſſimo itinere extra aream defluere poſſit, omne porro breviſſimum in rotundo e medio

VI. *De variis modis exterendi frumenta.*

VII. *De ſtructura areæ.*

medio ad extremum) ſolida terra pavitam, maxime ſi eſt argilla, ne æſtu peminoſa in rimis ejus grana oblitefcant, & recipiant aquam, & oſtia aperiant muribus ac formicis. Itaque amurca ſolent perfundere, ea enim herbarum eſt inimica, & formicarum, & talparum venenum. *Varr. L. I. c.* 51. Urb. Jam timebam de his furibus, quos gaudeo me ſcire tam facili remedio poſſe arceri. Sed qua ratione aream adeo firmam & ſolidam reddiderint, nondum video. Euras. Area, ſi terrena erit, ut ſit ad trituram ſatis habilis, primum radatur: deinde confodiatur, permiſtisque paleis cum amurca, quæ ſalem non accepit, extergatur; nam ea res a populatione murium formicarumque frumenta defendit: tum æquata paviculis, vel molari lapide condenſetur, & rurſus ſubjectis paleis inculcetur, atque ita ſolibus æquanda relinquatur. *Colum. L. II. c.* 20. *Cat. c.* 91. *&* 129. *Pallad. L. I. T.* 36. *& L. VII. T.* 1. Quæ verba ideo affero, quod etiam pro noſtris areis, nunquam ſuper ſtabula excitandis, quorum vapore pudoreque non ſolum fœna & frumenta, ſed & tabulata putreſcunt, ſane perquam utiliter ejusmodi ſubſternatur pavimentum. Urb. Antiqui illi, ſi quid ſapio, pro ſuo trituræ genere aream præſtabilius ſtraviſſent lapidibus. Euras. Neque hoc ab iisdem prætermiſſum eſt: quidam aream, ſcribit Varro *L. I. c.* 52. ut habeant ſolidam, muniunt lapide, aut etiam faciunt pavimentum. Et Columella *L. I. c.* 6. teſte, area optima eſt ſilice conſtrata, quod & celeriter frumenta deteruntur, non cedente ſolo pulſibus ungularum tribularumque: & eadem eventilata mundiora ſunt, lapillisque carent & globulis, quas per trituram fere terrea remittit area. Unde & Palladius *L. I. c.* 36. præciſe monet, ut ſtrata ſit ſilice, vel

VIII. *De nubilario.* ſaxo montis excifa. Nunc ad nubilarium aſcendamus, quod in ſublimi ſupra aream ac perflabili loco, atque meridiano ſoli oppo-

oppoſito, quo omnis humor ex congeſtis manipulis ante trituram exhauriatur, commode conſtitutum eſt. Hinc Varro *L. I. c.* 13. ædificium facere oportet, inquit, ſub quod tectum totam fundi ſubjicere poſſis meſſem, quod vocant quidam nubilarium. Id ſecundum aream faciundum, ubi triturus ſis frumentum, magnitudine pro modo fundi, ex una parte apertum: & id ob aera, quo & in trituram proruere facile poſſis - - - feneſtras habere oportet ex ea parte, unde commodiſſime perflari poſſit. Urb. Ex utraque areæ parte cortem vides pro paleis & ſtramentis, quæ hic quidem ejiciuntur in acervum, illic vero in manipulos collecta congeruntur, ut, cum puer eſſem, vidiſſe me memini. Euras. Bene Varro ſtramentum a ſtratu dictum conjicit, quod id ſubſternatur pecori *L. I. c.* 50. velut & palea occulcata pedibus pecudum fit miniſtra fundo, *Id. L. I. c.* 13. ac optimum ſaturandis agris ferculum.

DIALOGUS XVIII.
DE GRANARIO.

ARGUMENTUM.

I. *De ſiris & puteis.*
II. *De noſtris granariis.*
III. *An frumenta ſint ventilanda?*
IV. *De curculionibus & remediis contra eos.*
V. *De ſitu & ſtructura granarii.*
VI. *De opere Signino.*
VII. *De virtute amurcæ.*
VIII. *De aliis in granario obſervandis.*

Urban. Nunc per gradus hos adeamus granarium: ſed timeo vacuum. Euras. In ſublimi igitur poſuiſti? Urb. Certo non apud inferos. Euras. Tamen quidam granaria I. *De ſiris & puteis.*

habent ſub terris, ſpeluncas quas vocant σιρȣς, ut in Cappadocia, ac Thracia. Alii, ut in Hiſpania citeriore, puteos, ut in agro Carthaginenſi & Oſcenſi. *Varr. L. I. c.* 57. Urb. Atque in his frumenta ſine injuria ſervari poſſint? Euras. Utiliſſime ſervari teſtatur Plinius *L. XVIII. S.* 73. Et Columella *L. I. c.* 6. poſſunt etiam defoſſa frumenta ſervari, ſicut transmarinis quibusdam provinciis, ubi puteorum in modum, quos appellant ſiros, exhauſta humus editos a ſe fructus recipit. Ita enim ſolerter abſcondunt, ut de barbaris illis gentibus narrat Curtius *L. VII.* ut, niſi qui defoderint, invenire non poſſit. Detegant tamen hodie ejusmodi ſcrobes, quæ in non nullis Hungariæ locis in præſens uſurpantur, quod gramina ſuper easdem nata nocturnum rorem non recipiant. Urb. Miror ſub terra non ſuffocari frumentum, aut beſtiolis frugibus inimicis non confici. Euras. Id ne contingat, humorem aeremque excludi omnem oportere ait Varro *l. l.* horum ſolum paleis ſubſternunt, & curant, ne humor aut aer tangere poſſit, niſi cum promitur ad uſum: quo enim ſpiritus non pervenit, ibi non oritur curculio. Sic conditum triticum manet vel annos quinquaginta: milium vero plus annos centum. Idem teſtatur Plinius *l. l.* In Hiſpania & Africa, inquiens, ante omnia, ut ſicco ſolo fiant, curant. Præterea cum ſpica ſua conduntur: ita frumenta, ſi nullus ſpiritus penetret, certum eſt nihil maleficum naſci. Advertit tamen Varro *L. I. c.* 63. ſub terra qui habent frumentum, quod cum periculo introitur recenti apertione, ita ut quibusdam ſit intercluſa anima, aliquanto poſt promere, quam aperueris, oportet. Urb. Laudas igitur hoc genus aſſervandi frumentum? Euras.

II. *De noſtris granariis*

Ubi ratio ſoli admittit, non rejicio: ſed in noſtris regionibus, quæ redundant uligine, magis illam cum Columella *l. l.* poſitionem penſilis horrei, & hanc curam pavimentorum & parietum proba-

probamus. Urb. Quas tu mihi fabulas, quæ monſtra? an hortos penſiles Semiramidis & Aſſyrii regis memoras? Euras. Non ego aerea illa, poetarum fabulis celebrata, ædificia prædico: ſed quæ ligneis ſuffulta columnis, ut aura undique perflari poſſint; adeo ut non ſolum a lateribus per feneſtras, ſed etiam ſubtus a ſolo ventus regelare poſſit. *Varr. L. I. c.* 57. ſuſpendunt enim granaria lignea columnis & perflari undique malunt atque etiam a fundo. *Plin. l. l.* Urb. Creta notabo hunc locum. Euras. Alii autem carbone; nam ut idem Plinius *l. l.* obſervat, alii omnino pendente tabulato extenuari granum arbitrantur, &, ſi tegulis ſubjaceat, conferveſcere. Urb. Tegulis illis latericiis certo naturaliter inſitum eſt, ex frumento æſtivis caloribus jam tepefacto vapores provocare, quibus ferveſcens putreſcit, aut in curculiones transmigrans avolat. Ventilari igitur oportet. Euras. Multi ventilari quoque vetant: curculionem enim non deſcendere infra quatuor digitos, nec amplius periclitari. *Plin. l. l.* Urb. Nec hæc mihi exigua videtur jactura, ſi quatuor digitorum ſuperficies a curculionibus progreſſu temporis continuo conſumatur. Euras. Recte mones. Urb. Quis vero inter multos illos, qui id afferat? Euras. Columella *L. I. c.*6. cæterum optimus ſcriptor & rerum ruſticarum peritiſſimus auctor eſt: quod genus exitii, de curculionibus agens inquit, cum incidit, multi opinantur arceri poſſe ſi exeſæ fruges in horreo ventilentur & quaſi refrigerentur; id autem falſiſſimum eſt: neque enim hoc facto expelluntur animalia, ſed immiſcentur totis acervis: qui, ſi maneant immoti, ſummis tantum partibus infeſtantur; quoniam infra menſuram palmi non naſcitur curculio: longeque præſtat id ſolum, quod jam vitiatum eſt, quam totum periculo ſubjicere. Nam cum exigit uſus, facile eſt, eo ſublato, quod vitiatum erit, integro inferiore

III. *An frumenta ſint ventilanda?*

IV. *De curculionibus & remediis contra eos.* riore uti. Nec ego tamen in Columellæ ſententiam abeo multorum teſtimonio doctus, pace tanti viri dixero, quod noxiæ hæ beſtiolæ primo quidem ſuperficiem, his vero avolantibus pedetentim integrum corrodant acervum. PHILOM. Neque ego de ejus rei veritate dubito, poſtquam Virgilium *L. I.* Georg. canentem audivi:

- - - - populatque ingentem farris acervum
Curculio.

EURAS. Cum enim aperiente ſe vere frumenta, ſiligo nempe & triticum incaleſcere incipiunt, tum primo tenuiſſimo quodam ſtamine, ceu aranei reticulo, granorum ſibi coaleſcentium cruſta obducuntur: dein commota non eo celeri curſu defluere, ſed velut languentia tarde delabi, ita tamen, ut quieſcentia etiam grana gliſcere, burrire, ac velut modiciſſime ſe ſe movere videantur: turgente nempe vermiculis acervo: qui denique forma exiguis hepialis non abſimiles omnes granarii parietes obſident. PHILOM. In hujus conſideratione defixus miror, quod iners & tardus vermiculus tantam edere poſſit ſtragem, cui Plautus *Trinum. IV.* 3. hominem lentum & ignavum comparavit

Curculio'ſt exercitor: is hunc hominem curſuram docet.

Totus tamen gurges ſeu gula eſt: hinc idem facetiſſimus poeta *Curcul. IV.* 4. paraſitum, quorum æque magnus eſt numerus, curculionem compellavit:

Therap. Ubi nunc Curculionem inveniam? *Cappa.* in tritico facillime:

Vel quingentos curculiones pro uno, faxo, reperias.

URB. Unde tanta multitudo in hoc genere frumenti, in alio ne unus quidem? EURAS. Non juvat in hoc pluribus philoſophari: paucis igitur ex Plinio *l. l.* expediam: in tritico, inquit, maxime creſcunt animalia, quoniam ſpiſſitate ſua concaleſcit

ſtis & legumini, ideo non generant. His curculionibus aqua ſuffocandis conſilium ſuggerit Varro *L. I. c.* 60. tuendi cauſa promendum id frumentum, quod curculiones exeſſe incipiunt: id enim cum promptum eſt, in ſole ponere oportet aquæ catinos, quod eo conveniunt, ut ipſi ſe necent curculiones. Urb. Ego potius ne generentur, quam ut nati enecentur, expecto remedium. Euras. Mihi certo nullum præſentius, ac uſu magis comprobatum, quam crebra ventilatio: adeo ut hujus ope a Calendis Aprilis ad æquinoctium autumnale tertio ſemper, quartove die ſuſceptæ frumentum nullo curculione infectum, ac ad ſementem idoneum in ſecundum & tertium annum conſervaverim. Multum tamen ipſius frumenti magis minusve exſiccati conditio, nec non nubilarii ac granarii poſitio confert. Nobis referre plurimum, ſcribit Plinius *l. l.* tempeſtivitas condendi videbitur. Nam ſi parum toſtum atque robuſtum ſit, aut calidum conditum, inimica naſci neceſſe eſt. Urb. Quem igitur ſitum & ſtructuram probas? Euras. Quem veteres illi: at triticum condi oportet, verba Varronis ſunt *L. I. c.* 57. in granaria ſublimia, quæ perflentur vento ab exortu ac ſeptemtrionum regione, ad quæ nulla aura humida ex propinquis locis aſpiret. Vitruvius *L. I. c.* 4. eundem ſitum approbat: & Columella *L. I. c.* 6. ſcribit: ſed granaria ſcalis adeantur, & modicis feneſtellis, Aquilonibus inſpirentur: nam ea cœli poſitio maxime frigida & minime humida eſt; quæ utraque perennitatem conditis frumentis afferunt. Unde illorum opinionem ⊖ notandam eſſe cenſeo, qui apud Plinium *l. l.* nec afflatus admittunt, nec feneſtras habere ullas volunt: ſed alii merito feneſtras ab exortu tantum æſtivo, aut ſeptemtrione fieri præcipiunt; ut propterea miretur etiam Plinius, quod Columella Favonium ventum frumento conferre dicat,

V. *De ſitu & ſtructura granarii.*

quod, licet ſiccus, ſimul tamen tepidus ſit. At, ni mea me fallit opinio, Columella *L. II. c.* 21. non tam ad conſervanda, quam a paleis immiſta frumenta vento ſeparanda Favonium vocat eximium, qui lenis æqualiſque æſtivis menſibus perflat; addit enim: quem tamen operiri lenti eſt agricolæ: quia dum expectatur, ſæva nos hiems deprehendit. Quamvis vero Columella, ut paulo ante diximus, frumenta ventilari prohibuerit, hic tamen repurgari his verbis præcipit: pura deinde frumenta, ſi in annos reconduntur, repurgari debent; nam quanto ſunt expolitiora, minus a curculione exeduntur. Urb. Ex multo igitur pulvere generari autumat: ego autem potius ex ipſo frumento aut nunquam exhauſto, aut iterum concepto humore incaleſcente. Jam cætera, contra hos frumenti hoſtes in extruendo granario, ſubſidia proſequere. Euras. Parietes & ſolum opere tectorio marmorato loricandi. *Varr. l. l.* Pretioſum quidem, ſed perpetuum, ac ad calores, pulveres, mures, curculioneſque arcendos præſtantiſſimum opus. Si minus, dicit Varro, ex argilla mixto acere e frumento & amurca, quod murem & vermem non patitur eſſe & grana facit ſolidiora ac firmiora. Catonis jam fuit hæc animadverſio, qui *c.* 92. eandem prodidit his verbis: frumento ne noceat curculio, neu mures tangant, lutum de amurca facito: palearum paulum addito: ſinito macereſcant bene & ſubigito bene: eo granarium totum oblinito craſſo luto: poſtea conſpergito amurca omne, quod lutaveris. Ubi aruerit, eo frumentum refrigeratum condito: curculio non nocebit. Eandem fere ſtructuram Columella refert *L. I. c.* 6. ſed dubitanter & parum fidenti animo; timet ſiquidem ne rimas agat, cui malo proin conſulturus ſcribit: neque me præterit, ſedem frumentis optimam quibuſdam videri horreum camera contectum, cujus ſolum terrenum priuſquam conſternatur, perfoſ-

ſum

ſum & amurca recenti, non falſa, madefactum, velut Signinum opus paviculis condenſatur. Tum deinde cum exaruerit, ſimili modo pavimenta teſtacea, quæ pro aqua receperint amurcam, miſtam calce & arena ſuperſternuntur, & magna vi paviculis inculcantur, atque expoliuntur, omnesque parietum & ſoli juncturæ teſtaceis pulvinis fibulantur, nam fere cum his partibus ædificia rimas egerunt, cava præbent & latebras ſubterraneis animalibus - - parietes oblinuntur amurca ſubacto luto, cui pro paleis admiſta ſunt arida oleaſtri, vel ſi ea non ſunt, oleæ folia. Deinde cum prædictum tectorium inaruit, rurſus amurca reſpergitur, qua ſiccata frumentum infertur. Ea res a noxa curculionum & ſimilium animalium commodiſſime videtur conditas fruges defendere, quæ niſi diligenter repoſitæ ſint, celeriter ab eis conſumuntur. Sed id genus horrei, quod ſcripſimus, niſi ſit in ſicca poſitione villæ, quamvis granum robuſtiſſimum, corrumpit ſitu. *Colum. l. l.* URB. Quod tu mihi opus Signinum memoras? EURAS. Inventum eſt fractis etiam teſtis ſic utendi, ut firmius durent calce contuſis addita. *Plin. L. XXXV. S.* 47. ab urbe Campaniæ nomen habens. *Vitruv. L. VIII. c.* 7. Atque hoc Signino opere Columella *L. VIII. c.* 15. ora lacus, ne corrumpantur violentia reſtagnantis undæ, & Palladius *L. I. T.* 17. & 40. ciſternarum parietes & cameras in balneis conſternendas, & Caſſiodorus *L. V. var. epiſt.* 38. aquas Ravennam deductas dixit. URB. Audio toties commendari amurcam, cujus pretium & virtus in hanc horam mihi parum nota. EURAS. Ex olea fructus duplex, inquit Varro *L. I. c.* 35. oleum, quod omnibus notum: & amurca, cujus utilitatem quod ignorant plerique - - cum is humor modicus, cum ad multas res, tum ad agriculturam pertineat vehementer, quod circum arborum radices infundi ſolet, maxime ad oleam, & ubicunque in agro herba nocet.

VI. *De opere Signino.*

VII. *De virtute amurcæ.*

cet. Ejus promendæ & tuendæ rationem idem Varro *l.l. c.64.* tradit: varias ejusdem virtutes Cato *c.* 91. *& ſeq.* explicat: plures & paucioribus Plinius *L. XV. S.* 8. cujus verba affero.: amurca ſubigi areas terendis meſſibus, ut formicæ rimæque abſint. Quin & lutum parietum ac tectoria & pavimenta horreorum frumenti, veſtiarium etiam contra teredines, ac noxia animalia amurca aſpergi: ſemina frugum perfundi: morbis quadrupedum, arborum quoque illa medendum, efficaci ad ulcera interiora humani quoque oris. Lora etiam ac coria omnia & calceamina axesque decocta ungi, atque æramenta contra æruginem, colorisque gratia elegantioris: & totam ſupellectilem ligneam, ac vaſa fictilia, in queis ficum aridam libeat aſſervare - - - poſtremo ligna macerata amurca nullius fumi tædio ardere, ſeu, ut ait Cato *c.* 130. neque fumoſa erunt & ardebunt bene. Pulices fugari amurca per pavimentum frequenter aſperſa: & mures adhærere, ſi amurcam ſpiſſam patinæ infuderis & in domo nocte poſueris, teſtatur Palladius *L. I. T.* 35. talpas denique eadem necari, & plura alia, invenire eſt apud Plinium *L. XVII. S.* 47. *& alias.*

VIII. *De aliis in granario obſervandis.* In tuo autem hoc granario ſitum & aptas ad claudendum aperiendumque feneſtras laudo: ſeptemtrionem enim ſpectat: auſtrum averſum habet: ab omni humore, lætamine & ſtabulis eſt liberum: frigidum, ventoſum, ſiccum: & nihil cuſtodiendis frumentis commodius, ac quod poſſint in alterum vicinum locum transfuſa refrigerari. Præterea eſt in plures cellas diviſum, ut; ſi magnus ſperetur ſeminum modus, aliam & aliam grano cuique tribuamus. Pallad. *L. I. T.* 19. id enim etiam Columella *L. I. c.* 6. ſuadet, diſtincta eſſe granaria, ut ſeparatim quæque legumina ponantur. Aliqui coriandri folia frumentis miſcent ad ſervandum profutura - - herba conyza ſicca pariter, ut Græci aſſerunt, ſubſtrata frumentis addit ætati. *Pallad. l.l.*

Urb.

Digitized by Google

Urb. Et nihil ultra deſideras? Euras. Sunt, qui rubeta rana in limine horrei pede e longioribus ſuſpenſa, invehere jubeant: *Plin. L. XVIII. S.* 73. ad avertenda ſcilicet noxia animalia: velut noſtri bufones, angues, viperas, muſtelas &c. e ſtabulis ſuſpendunt, ut ejus generis animalia ab ingreſſu arceant. Si tamen curculionum vitiis carere velis frumenta, Plinii quidem opinione breviſſima obſervatio eſt, ſi interlunio legantur. Quare plurimum referre ait, condere quis malit, an vendere, ita ut vendenda Luna creſcente legenda ſint, quod ſic lecta grandeſcant in area: condenda vero in interlunio, ut a curculionum fraudibus ſint ſecura. Sed nolo longius curculiunculos minutos fabulari.

DIALOGUS XIX.

DE SUPELLECTILI RUSTICA.

ARGUMENTUM.

I. *De ſitu horrei inſtrumentorum.*	V. *De inſtrumentis rei agrariæ.*
II. *De ordine in aſſervandis inſtrumentis cuſtodiendo.*	VI. *De falce vinitoria.*
III. *Magnum eſſe inſtrumentorum numerum.*	VII. *De inſtrumentis rei pecuariæ.*
IV. *De partibus currus.*	VIII. *De ſupellectili culinæ.*

Euras. Procuratori aut certe villico ſit proximum horreum, quo conferatur omne ruſticum inſtrumentum, & intra id ipſum clauſus locus, quo ferramenta condantur. *Colum. L. I. c.* 6. qui non humido & uliginoſo ſolo, ſed ſicco, atque perflabili ſtatione ſit poſitus, nam anni toto tempore ſitus at- I. *De ſitu horrei inſtrumentorum.*

 que

que humor inſtrumentum ruſticum ſupellectilemque & inconditos conditosque fructus corrumpit. *Id. l. l. c.* 5. Quod ipſum Varro *L. I. c.* 13. monuit: faciundum etiam plauſtris, ac cætero inſtrumento omni, quibus cœlum pluvium inimicum, in cohorte ut ſatis magna ſint tecta. Hæc enim ſi intra clauſum in conſepto, & ſub dio, furem modo non metuunt, adverſus tempeſtatem nocentem non reſiſtunt. Et *c.* 22. quæ non poſſunt eſſe ſub clavi quam maxime facere, ut ſint in conſpectu oportet. Eo magis ea, quæ in rariore ſunt uſu, ut quibus vindemia utuntur, ut corbulæ, & ſic alia: quæ enim res quotidie videntur, minus metuunt furem. Urb. Miror profecto ſummum virum Varronem ad hæc minuta advertiſſe animum. Euras. Occurrent plura alia ex eodem, ad quæ nos, quamvis moniti, in præſens non reſpicimus. Villicus igitur, ut Columella *L. XII. c.* 2. obſervat, poſt hæc meminiſſe debebit, quæ inferantur, ut idoneis & ſalubribus locis recondita ſine noxa permaneant. Nihil enim magis curandum eſt, quam præparare ubi quidque reponatur, ut cum opus ſit, promatur. Urb. Et quam affert hujus rei tam religioſe obſervandæ rationem? Euras. Gravem equidem & conſpicuam, ſed copioſius explicatam. Urb. Mihi quidem lacteus ille Columellæ ſermo, etſi longior, nunquam erit tam moleſtus audiendo, quam tibi gravis recitando. Euras. Præparatis igitur receptaculis, data a te venia, ejusdem verba refero, oportebit ſuo quidque loco generatim atque etiam ſpecialiter non nulla diſponere; quo facilius, cum quid expoſtulabit uſus, recipere poſſit. Nam vetus eſt proverbium, paupertatem certiſſimam eſſe, cum alicujus indigeas, uti eo non poſſe, quia ignoretur, ubi projectum jaceat, quod deſideratur. Itaque in re familiari laborioſior eſt negligentia, quam diligentia. Quis enim dubitet, nihil eſſe pulchrius in omni ratione vitæ, diſpoſitione

II. *De ordine in aſſervandis inſtrumentis cuſtodiendo.*

ſitione atque ordine? quod etiam ludicris ſpectaculis licet ſæpe cognoſcere; nam ubi chorus canentium non ad certos modos, neque numeris præeuntis magiſtri conſenſit, diſſonum quiddam ac tumultuoſum audientibus canere videtur: at ubi certis numeris ac pedibus velut facta conſpiratione conſenſit, atque concinuit, ex ejusmodi vocum concordia non ſolum ipſis canentibus amicum quiddam & dulce reſonat, verum etiam ſpectantes, audienteſque lætiſſima voluptate permulcentur. Jam vero in exercitu neque miles, neque imperator ſine ordine ac diſpoſitione quidquam valeat explicare, cum armatus inermem, eques peditem, plauſtrum equites, ſi ſint permiſti, confundant. Hæc eadem ratio præparationis atque ordinis etiam in navigiis plurimum valet. Nam ubi tempeſtas inceſſit, & eſt rite diſpoſita navis, ſuo quidque ordine locatum armamentum ſine trepidatione miniſter promit, cum eſt a gubernatore poſtulatum. Quod ſi tantum hæc poſſunt vel in theatris, vel in exercitibus, vel etiam navigiis, nihil dubium eſt, quin cura villicæ ordinem diſpoſitionemque rerum, quas reponit, deſideret. Nam & unumquodque facilius conſideratur, cum eſt aſſignatum ſuo loco, & ſi quid forte abeſt, ipſe vacuus locus admonet, ut, quod deeſt, requiratur. Si quid vero curari, aut concinnari oportet, facilius intelligitur, cum ordine ſuo recenſetur. *Colum. L. XII. c. 2.* Illud vero minime prætermittendum, quod jam olim ex Varrone *L. I. c. 22.* monui, inſtrumentum & ſupellectilem ruſticam omnem oportere habere ſcriptam tam in urbe, quam rure. Urb. Cum ruſticis ſit curta ſupellex & brevis erit deſcriptio & ſermo noſter ſterilis. Euras. Brevis quidem ſi villæ ornatum vitæque cultum, copioſus vero, ſi rerum ad villæ ruriſque culturam, fructuumque perceptionem, neceſſariarum apparatum ſpectes. Volo igitur, ut, dum de hoc paucis diſſero, ani-

III. *Magnum eſſe inſtrumentorum numerum.*

animum præſentem afferas. Nec tamen, quod Varro *L. I. c.17.* inſtrumentum vocale vocat, in quo ſunt ſervi, aut ſemivocale, in quo ſunt boves, attingam: ſed illud, quod dicit mutum, in quo ſunt plauſtra, inſtrumenti genus, nec omnia tamen aut ſingula, aut quorum rarus eſt uſus, ſed ſolum quæ in rei agrariæ & pecuariæ commoda ſummopere ſunt neceſſaria, paucis percenſenda aſſumam, ea te liberaturus inſcientia, qua leves autumas, aut prope nullas a ruſticis in hanc rem inſumendas impenſas. URB. Rogo itaque, ut parce rationem ineas, neve, qui capram portare non poſſum, bovem imponas. EURAS. Parcam & verbis & ſumptibus: nec de alienis magis quam propriis faciendis impenſis liberalis ero: pro rerum tamen neceſſitate velut e plauſtro ſeu libertate mihi data primo de plauſtris loquar, illud præmittens Heſiodi:

IV. *De partibus currus.*

Centum autem lignis plauſtrum componitur unum.

URB. Jam fingere incipis & fabulas fabulari. EURAS. Ex animo me locutum fuiſſe, intelliges, ſi partes unius rotæ, quarum converſione circa axem currus agitur, ad calculos vocemus. Eſt abſis ſeu curvatura rotæ in quinque partes diſtincta, & canthis, atque hæ clavis & annulis rotariis, munitæ. Dein modiolus ſeu medium rotæ, cui hinc, illinc abſidi decem radii innituntur, ejusque centrum, in quod axis immiſſus eſt, tubus modialis vocatur: eſt annulus ſeu ferrum orbiculare, quo modiolus, ne atteratur, munitur. Jam ipſius corporis curulis compagem conſidera: axes ſcilicet, quibus rotæ ſunt immiſſæ: embolium ſeu obicem in extremo axe præfixum, ne rotæ excidant: ſufflamen, quod rotæ injicitur, ne in præceps feratur currus: axungiam, qua axis ungitur, ut facilius rotæ circumagantur. Nunc temonem vertamus, ad cujus tum caput ferro præfixum, tum ad calcem transverſis velut ad libram lignis, ceu brachiis equi junguntur. Super

temonem

temonem vertitur alter temo ſeu axis ſtratus (tignum oblongum currui ſubtenſum) cujus extrema parte, cauda dicta, fibula connectitur tum prior, tum poſterior plauſtri pars; his incumbunt tigna oneraria, ſurgentibus utrinque ad latus fulcris alariis cum ſtatumine; quibus obnituntur anterides. En! tot partibus compago plauſtri conſtat, cujus generis ſex in ampliori prædio ſunt neceſſaria. Urb. Heu me! ſex? Euras. Dubitas? quid enim fœno ſecto, aut meſſe facta, cum hodie fervet cœlum? an non, ut ferveat etiam opus, dum tria plauſtra deonerantur, oneranda alia tria in promptu ſint? nam res ruſtica ſic eſt; dicit Cato *c.* 5. ſi unam rem ſero feceris, omnia opera ſero facies. Et quiſcunque in comparanda hac ſupellectili parce nimium ſumptus facit, reſtrictos pariter recipiet proventus. Eadem tamen inferior curulis compago diverſorum curriculorum ſubire poteſt munera, ut modo plauſtrum, modo crates, modo ſirpea, modo traha videatur, dum nunc fimo, nunc lignis, nunc fœno & frumento, nunc leguminibus convehendis aptatur: ob quas conſtantes, quas præſtat, operas non vane in proverbium abiit: currus edax. Nam aut rotarius, aut plauſtrarius, aut faber ferrarius, aut frenarius, aut ephippiarius, aut funarius, aut unguentarius ſemper invenit, quod reficiat. Adſint præterea alii carri, trahæ, vehicula, vectabula, curricula varii generis, quorum varius & quotidianus eſt uſus; cui enim plauſtrum eſt domi, haud eſt, ut deportandis oneribus aſinos aliunde conducat; unde natum illud: utere curru, de aſinis nihil laborans. Urb. Satis, ſatis utique de curribus. Euras. Qua autem ratione junges equos, ſi careas inſtrumentis? hinc ultra opus eſt libramentis hic ferreis, illic coriaceis: jugis boum & equorum: loris ſubjugiis, quibus illa alligantur: frenis & retinaculis: frontalibus, anteis, poſtilenis, capiſtris, helicis, thomicibus,

cibus, fellis, cingulis, variisque loramentis & corrigiis, quibus revinciuntur, cinguntur, & diſtringuntur; ut nil dicam de clitellis, ſtragulis, & inſtratis. URB. Ah! deſine tandem de his. PHILOM.

V. *De inſtrumentis rei agrariæ.*

Dicendum, & quæ ſint duris agreſtibus arma:
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.
Vomis & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque trahæque & iniquo pondere raſtri:
Virgea præterea Celei, viliſque ſupellex,
Arbuteæ crates, & myſtica vannus Jacchi.
Omnia quæ multo ante memor proviſa repones:
Si te digna manet divini gloria ruris.

EURAS. Et aratra quidem tam ſimplicia, quam aurita pro magis minusve planæ regionis conditione: *Pallad. L. I. T.* 43. nec non alia ad repaſtinandum, alia ad arandum. Et ſi adhuc glebofus ſit fundus, opus ligonibus atque cylindris, quibus frangatur: dein occis, quibus comminuatur, ne fiat gleba, & poſtea inoccetur ſemen: atque raſtris, quibus purgetur, ac inæquetur. URB. Tu in his enarrandis nimium largus es, ſemper plurativum numerum uſurpans. EURAS. Tu vero non animi quidem vitio, ſed rerum ruſticarum ignorantia durus & parcipromus es: nunquamne legiſti illud Varronis? cujus inſtrumenti varia diſcrimina ac multitudo agri magnitudine finitur, quod plura opus ſunt, ſi fines diſtent late. Propoſita itaque magnitudine fundi requirit ploſtra majora tria: aratra cum vomeribus ſex: crates ſtercorarias quatuor. Item alia. Sic de ferramentis quæ ſunt & quot opus ad multitudinem, ut ferreas octo, ſarcula totidem, dimidio minus palas. Item alia. *Varr. L. I. c.* 22. Sæpius autem addit: item alia. Jam fœnum, dum maturum, ſecandum eſt falcibus fœnariis,

cote acuuntur. Arefactum vero raſtris, ſeu raſtellis ligneis verſandum, tridentibus coacervandum & plauſtro imponendum: ac denique furcis bicornibus ferreis in fœnile deponendum. Inſtante meſſe parandæ ſunt falces meſſoriæ, ſive ſiculæ, plauſtra frumentaria cum malo cereali & tridentibus ligneis: ad trituram vero, cum in area excutiuntur grana flagellis, ſeu bacillis loreis vinculis e fuſte pendulis, quem triturantes manibus verſant, tunduntque ſpicas: furcillis vero ferreis dentatis ſtramenta extra aream ejiciunt, ut furcilla extrudi idem ſit apud Ciceronem *Epiſt. ad Attic.* 16. quod vi expelli. Excuſſa grana olim tantum vannorum, vallorum, & ventilabrorum motu vel jactu ab aceribus purgabantur: hodie vero, licet iis inſtrumentis ad alios uſus carere minime poſſimus, negotio longe faciliori ad molam truſatilem ſeu pnevmaticam incerniculi jactatione emundantur a paleis ac dimenſa, & in ſaccos, quorum magna tibi ſit copia, miſſa inferuntur granariis. Urb. Poſt trituram iterum redibis ad aratrum, ad occam, ad vectabula & vehicula, ad ſarracum & carrucam, ad crates & ſirpeas, ad feretra & fercula ſtercoraria, atque adeo ad antiquam ſilvam. Euras. Silva adhuc ſupereſt & haud opus, ut acta agamus. Ne tamen ſine cauſa thunniſſare videaris, aratri partes, quas prius omiſi, referam: ſunt enim ſtiva ſeu buris, culter, vomer, temo, rallum, quo ferramento raditur vomer, & inhærente terra purgatur. Purget vomerem, ſcribit Plinius *L. XVIII. S.* 49. ſubinde ſtimulus cuſpidatus rallo. Nec tamen copioſus eſſe cupio in enerrando numero ſudium, palorum & palarum, ligonum, ſarculorum, capreolorum, pectinum, raſtrorum, falcium, harſpaginum, forficum, ſirpicularum, rutrorum, rutellorum, uncorum, uncinorum, ſecurium, bipaliorum, marrarum, irpicum, paſti-

norum, mergarum, catenarum, catellarum, ferrarum, ferrularum (nam & talia arma tractari a ruſticis haud raro rationes poſtulant) runcinarum, dolabrarum, malleorum & terebrarum. Nec falces iterum ſine ratione indicavi, quoniam aliæ meſſoriæ, aliæ fœnariæ, aliæ ſtramentariæ, aliæ ruſtariæ, aliæ vinitoriæ. Et quamvis noſtri officii ac laboris non ſit, ſingula hæc inſtrumenta deſcribere, falcis tamen vinitoriæ munus & figuram ex Columella dabo: eſt autem ſic diſpoſita vinitoriæ falcis figura, ut capulo pars proxima, quæ rectam gerit aciem, culter ob ſimilitudinem nominetur: quæ flectitur, ſinus: quæ a flexu procurrit, ſcalprum: quæ deinde adunca eſt, roſtrum appellatur; cui ſuperpoſita ſemiformis lunæ ſpecies, ſecuris dicitur, ejusque velut apex pronus imminens, mucro vocatur. Harum partium quæque ſuis muneribus fungitur, ſi modo vinitor gnarus eſt. Nam cum in adverſum preſſa manu deſecare quid debet, cultro utitur: cum autem retrahere, ſinu: cum allevare, ſcalpro: cum incavare, roſtro: cum ictu cædere, ſecuri: cum in anguſto aliquid expurgare, mucrone. *Colum. L. IV. c.* 25. Urb. Plus ingenii, quam utilitatis hæc figura habet: quid enim prohibet ſimplicis cultri ictu vitem cædere? Euras. Rationem hujus idem Columella *l. l.* reddit: major pars operis, inquit, in vineam ductim potius, quam cæſim facienda eſt; nam ea plaga, quæ ſic efficitur, uno veſtigio allevatur: prius enim putator applicat ferrum, atque ita, quæ deſtinavit, præcidit. Qui cæſim vitem petit, ſi fruſtratus eſt, quod ſæpe evenit, pluribus ictibus ſtirpem vulnerat. Tutior igitur & utilior putatio eſt - - quæ ductu falcis, non ictu conficitur. Sed minime neſcius in ejusmodi rebus ſæpe magis genus, quam ſpeciem poſſe indicari; nec enim omnia omnibus locis conveniunt, & velut mores & artes atque hominum ingenia, ita

VI. *De falce vinitoria.*

Digitized by Google

ita mutantur arma & vocabula. Urb. An non a te multiplicantur etiam? Euras. Non ſolum nihil addo, ſed nec dinumero vannos, vallos, fiſcellas, qualos, ſportas, ſtoreas e funibus aut junco, tegetes canneas, ſirpicula, caniſtra, modios & ſemimodios, lintres, hauſtra, ſitulas, trullas, matelliones, naſiternas, urnas, lacus, labra, dolia, & infundibula. Urb. Apparatus iſte inſtruendo Xerxis exercitui ſufficeret. Euras. Jam aures arrige, necdum enim de rebus rei pecuariæ dixi quidquam; ſed hæc non tam genere multa ſunt, quam numero: mulctra quidem, in quæ lac mulgendo excipitur: cola, per quæ à ſordibus purgatur: ſinus plurimi, qui ſunt vas quoddam rotundum capaci alveo, ut in iis lac aſſervetur: orcula, in qua vel cujus ſuccuſſatione ex lactis flore butyrum conficitur: & cadi, in quibus aſſervatur. Demum ahenum, in quo coquitur caſeus, & formæ ligneæ, in quas lac coagulatum, ut ſerum percoletur, transfertur. Philom. De hujusmodi formis, & quæ alibi in uſu ſunt, fiſcellis vimineis Tibullus *L. I. Eleg.* 3.

VII. *De inſtrumentis rei pecuariæ.*

Tum fiſcella levi detexta eſt vimine junci
Raraque per nexus eſt via facta ſero.

Euras. Nec de majorum minorumve pecudum aut ſtabuli inſtrumentis dicam ultra: nec de alveariis, gallinariis, columbariis, aviariis, ornithonibus, & ornithotrophiis. Sed ſupellectilem culinæ ruſticæ haud licet omni ſilentio prætervehi, quamvis enim ſplendidas neſciat adornare dapes, horret tamen etiam in victu arido & doliari vita vaſa ſordida: cui rei noſtri adeo ſtudioſe inſiſtunt, ut haud raro culina præ cubiculis niteat, majorque ſit focariæ in parandis duobus ferculis ruſticanis munditiæ cura, quam cocis nobilium in lautis conviviis. Nec eſt vaſorum penuria, ſed pro conditione familiæ major, minorve apparatus. Focus plerumque amplus, ſupra quem

VIII. *De ſupellectili culinæ.*

 lebes,

lebes, ſeu ahenum pendulum, follis, chytropus, & forceps: hic labra ænea & lignea, truncus carnarius & plathanus, illic una ſerie ponuntur cacabi, ollæ, ollulæ cupreæ, æneæ, fictiles, variique generis alveoli cum cooperculis, nec non pila cum piſtillo: iſtic juſto ordine pendent pultarii, teſta, authepſæ cum climacteribus: tudiculæ, fuſcinulæ, cochlearia ferrea, lignea, atque ſpumaria: demum lances, diſci, orbesque teſtacei & lignei cum radula & cribro. Et, quod mireris, non munda tantum, ſed nitida omnia. PHILOM. Dicunt ſiquidem cum Horatio *L. II. Carm.*

Vivitur parvo bene, cui paternum
Splendet in menſa tenui ſalinum.

URB. Cur tanta vaſorum coquinariorum copia, quibus domus & veſtis perlucet quam cribrum crebrius, & tribus bolis ſolvitur menſa. PHILOM. Nos non Philemonis & Celei temporibus vivimus, ut tantum ſit

Virgea præterea Celei viliſque ſupellex.

Nec Romanorum more peſſimos quosque aut compedibus vinctos ad ruris opera acceſſimus: ſed ingenua fronte, & haud raro facultatibus etiam inſtructos miniſtros aſſumimus, aut villicos, quibus non ſordidus ſervorum, aut caninus panis, ſed liberalior, ac pro patriæ more, parabilis victus cum eo decore & munditia eſt ſubminiſtrandus, qua in paternis ædibus, ac apud alios honeſtiores agricolas frui licet, qui apud nos præ aliis regionibus melioris ſortis & mentis ſunt, nihil habentes ſervilis notæ.

DIALO-

DIALOGUS XX.

DE STABULIS & STERQUILINIO.

ARGUMENTUM.

I. *Domi parantur ſtabula, in paſcuis caulæ.*
II. *Lectio vulgaris Columellæ emendatur.*
III. *De ſitu ſtabulorum.*
IV. *De corte & ſtramentis.*
V. *De piſcina*
VI. *Quis ſtercorationem invenerit?*
VII. *De ejus neceſſitate.*
VIII. *De ſtructura ſterquilinii.*
IX. *De ejus materia.*
X. *De diverſitate lætaminis.*

Urban. Stabula & piſcinas levi pede tranſibimus. Euras. I. *Domi parantur ſtabula, in paſcuis caulæ.*
Quin operæ pretium, ut brevi ſermone perſtringamus. Sunt enim aut ovilia, aut caprilia, aut ſuilia, aut equilia, aut bubilia: caulas autem aut mandras non domi, ſed in remotis paſcuis, & alpibus excitamus, in quas æſtivo tempore pecus noſtrum educimus non rediturum nocte domum; quia & boves & oves & omne ejusmodi armentum deſiderat æſtate opaciſſima nemorum, ac montium alta magis, quam plana paſcua. Similiter & tauri freti viribus per nemora vagantur, liberosque egreſſus reditusque habent. *Colum. L. VI. c* 22. & 23. Philom. Miror in lapidoſis noſtris alpibus, ubi nec ſtabula, ſæpe nec caulas habent, non atteri corrumpique ungulas. Euras. Atteruntur primo quidem, ſed mox creſcunt & durantur magis, velut & equi in montanis nati firmiores durioresque ungulas præ illis habent, qui in planis, herbidis, uliginoſisque locis. Quod ipſum Varro *L. II. c.* 8. de mulis teſtatur: hi, inquit, ſi in paluſtribus atque uliginoſis locis nati, habent

II. *Lectio vulgaris Columellæ emendatur.*

habent ungulas molles: iidem ſi exacti ſunt æſtivo tempore in montes - - duriſſimis ungulis fiunt. Et Columella *L. VII. c.* 37. annicula mula recte a matre repellitur, & amota montibus, aut feris locis paſcitur, ut ungulas duret. PHILOM. Eccur igitur Columella tuus *L. VI. c.* 22. ſcribit: melius nemoribus herbidis, & frutetis, quam lapidoſis locis durantur ungulæ? EURAS. Latere in his verbis aliquod librariorum vitium ſuſpicantur viri eruditi: & qui a vulgata lectione minime recedunt, legendum putant: durant juvenculæ. Quam lectionem commendant verba, quæ ſequuntur: nec tam fluvios rivosque deſiderant, quam lacus. Nec enim ungulæ lacus deſiderant, ſed juvencæ. Alii vero legendum ſtatuunt: ſaturantur juvencæ. Quæ lectio cum iis, quæ Palladius *L. IV. T.* 11. ſcribit, cum integra Columellæ ſententia convenit, licet paulo diverſa, & poſtrema hæc ſunt verba: melius frutetis & his herba internaſcente ſaturantur. Domi igitur pecudibus fient ſtabula, quæ neque frigore, neque calore infeſtentur - - - ſed omnia ſtabula ſic ordinentur, ne quis humor influere poſſit: & ut quisque, qui ibi conceptus fuerit, quam celerrime dilabatur, ut nec fundamenta parietum corrumpantur, nec ungulæ pecudum. *Colum. L. I. c.* 6. Atque ideo ſtabula optima eſſe ait, ſaxo aut glarea ſtrata, non incommoda etiam ſabuloſa: illa quod imbres reſpuant: hæc quod celeriter ſorbeant transmittantque: ſed utraque devexa ſint, ut humorem effundant, ſpectentque ad meridiem, ut facile ſiccentur, & frigidis ventis non ſint obnoxia. *Colum. L. VI. c.* 23. Et Varro *L. II. c.* 5. lapides ſubſternendos monet, aut quid item. Denique etiam Palladius *L. I. c.* 21. & *L. IV. c.* 11. non ſolum ab omni humore ſuſpenſa eſſe jubet, verum & quæ equorum vel boum meridianas plagas reſpicere, non tamen egere ſeptemtrionis luminibus, quæ per hiemem

III. *De ſitu ſtabulorum.*

mem clauſa nihil noceant, per æſtatem tepefacta refrigerent. Et quamvis Columellæ *l. l.* opinione omnis externi frigoris equino armento vacca ſit tolerantior, ut facile ſub dio hibernet, algor tamen eas & fames macreſcere cogit. *Varr. L. II. c.* 5. Hiberno autem tempore bovillum pecus præ equino ſtabuli calores amat: hoc vero vaporis calorisve ex fimo editi minus patiens eſſe dicitur; ut propterea, ubi major pecoris eſt numerus, graviorque vapor pro equis equilia, pro bobus bubilia ſtatuant. Stationibus equorum ſupponantur plancæ roboreæ cum ſtramine, ut jacentibus molle ſit, ſtantibus durum. *Pallad. l. l.* Nec minus lata bubilia eſſe oportebit pedes decem, vel minime novem, Columellæ quidem conſilio *L. I. c.* 6. quæ menſura & ad procumbendum pecori, & jugario ad circumeundum laxa miniſteria præbeat (quod pro ſingulis boum paribus cum Palladio *l. l.* accipio) & ne in anguſtiis conceptum altera alterius elidat, & ut invalida fortioris ictus effugiat. *Colum. L. VI. c.* 23. Præſepes & clathros intereſſe oportet, monet Cato *c.* 4. ne boves pabulum ejiciant. Major adhuc diligentia adhibenda eſt, ut ovium pellitarum ſtabula munda & pura ſint, ne lana inquinetur, quo minus vel infici recte poſſit, vel lavari, ac parari: itaque faciunt lapide ſtrata, ut urina nec ubi in ſtabulo conſiſtat. *Varr. L. II. c.* 2.

IV. *De corte & ſtramentis.*

Fumarium quoque, quo materia, ſi non ſit jam pridem cæſa, feſtinato ſiccetur, in parte ruſticæ villæ fieri poteſt. *Colum. L. I. c.* 6. Alia cors exterior crebro operta ſtramentis ac palea, quæ occulcata pedibus ſit miniſtra fundo, ex ea quod evehatur. *Varr. L. I. c.* 13. Stramentorum autem nomine venit, quidquid pecori ſubſternitur; & quamvis proprie ad frugum culmos pertineat, ſi tamen hi deerunt, frondem iligneam legendam dicit Cato *c.* 5. ſubſternendamque ovibus & bubus, ut ungulæ curentur. Itaque hibernæ ſtabulationi præparanda

ſunt ſtramenta - - Horum defectio cum pecori, tum agro eſt utilis: liberantur arva ſentibus - - & pecori ſubjecta plurimum ſtercoris efficiunt. *Colum. L. VI. c.* 3. Cato enim dicturus, ſtercus unde fiat, non tantum ſtramenta deſignat, verum etiam lupinum, paleas, frondem iligneam, querneam. Ex ſegete evellito ebulum, cicutam & circum ſalicta herbam altam ulvamque: eam ſubſternito ovibus, bubusque frondem putidam. *Cat. c.* 37. Non procul a ſtabulis piſcinæ duæ ſint: una quæ uſui pecudis, anatum, anſerum ſerviat: altera, in quam lactucæ, lupinum, vimina & alia macerata noſtris opportuna uſibus immittantur. URB. Næ tu delicatus declamator es omnes commoditatis articulos captans. EURAS. Ita captare me jubet Varro *L. I. c.* 13. boves enim ex arvo æſtate reducti hic bibunt, hic perfunduntur. Nec minus pabulo dum redierunt anſeres, ſues, porci. In corte exteriore lacum eſſe oportet, ubi maceretur lupinum: item alia, quæ demiſſa in aquam ad uſum aptiora fiunt. Eadem fere Columella tradit *L. I. c.* 6. ubi & furnum & piſtrinum, quantum futurus numerus colonorum poſtulaverit, circa villam eſſe oportere ait. Præ cæteris autem cum Catone ſterquilinium ſecundum villam facere oportet præcipit Varro *L. I. c.* 38. URB. An nondum relinquimus hoc oletum? EURAS. Nunc primum ad Augiæ & Herculis labores venimus. URB. Somnias? EURAS. Ditiſſimus ruſticorum foret, qui tanti congeſti fimi habeat, quantum ter mille boves pluribus annis Eleo regi reddiderunt. URB. Stercorandi autem commoda Augias rex in Græcia inveniſſe, divulgaſſe vero Hercules in Italia traditur, quæ regi ſuo Stercuto, Fauni filio, ob inventum immortalitatem tribuit. *Plin. L. XVII. S.* 6. Stercutumque dictum, quod primus ſtercore fœcunditatem agris comparaverit. *Macr. L. I. c.* 7. *Saturn.* URB. Dignum profecto divinitate illa

V. *De piſcina.*

VI. *Quis ſtercorationem invenerit?*

illa & munere, cujus myſtagogus fuit. Urb. Et certe nec reges abhorruerunt, velut Homerus apud Ciceronem *L. de ſeneſt.* regium ſenem Laertem inducit lenientem deſiderium, quod capiebat a filio, colentem & ſtercorantem agrum. Urb. Reddis quemdam ſuffitum fimo. Euras. In his tamen ſordibus totius agriculturæ opes deliteſcunt. Hinc duo habere oportet ſterquilinia: unum quod nova purgamenta recipiat & in annum conſervet: alterum ex quo vetera vehantur. *Varr. L. I. c.* 13. Urb. Præſtat uni malo obnoxium eſſe, quam duobus. Euras. Atqui ſic nec malum effugies, nec bonum invenies: quod enim infertur recens minus bonum: id cum flaccuit melius. *Varr. l.l.* Urb. Tantumne in hac re poſitum? Euras. Dixi: ſumma & divitiæ totius agricolationis, inter cujus prima præcepta Cato *c.* 5. poſuit: ſterquilinium magnum ſtude ut habeas: ſtercus ſedulo conſerva. Urb. Mirum, ſi tam ſordidæ induſtriæ etiam proventus reſpondeant. Euras. Hoc in confeſſo eſt, niſi ſtercorato ſeri non oportere - - - ager ſi non ſtercoratur, alget. *Plin. L. XVIII. S.* 53. *Colum. L. II. c.* 16. Hinc natum adagium: ager tantum reddit, quantum accipit. Urb. Tam modicis, tam ſordidis fuerunt intenti commodis viri in urbe principes? ſcilicet, ut Veſpaſianus dixiſſe fertur: lucri bonus odor ex re qualibet. Euras. Non lucrum tantum reſpexerunt, ſed rationem quoque conſtruendi ſterquilinii nobis tradiderunt, ut inde lucrum capere poſſimus: ſterquilinium melius illud ſcribit Varro, cujus latera & ſummum virgis ac fronde vindicatum ab ſole: non enim ſuccum, quem quærit terra, ſolem ante exugere oportet. Itaque periti, qui poſſunt, ut eo aqua influat, eo nomine faciunt; ſic enim maxime retinetur ſuccus, in eoque quidam ſellas familiaricas ponunt. *Varr. L. I. c.* 13. Hinc monente bene Columella, utrumque ſterquilinium more piſcinarum devexum

VII. *De ejus neceſſitate*

VIII. *De ſtructura ſterquilinii.*

vexum leni clivo & extructum pavitumque ſolum habeat, ne humorem transmittant. Plurimum enim refert, non adſiccato ſucco ſimum vires continere, & aſſiduo macerari liquore, ut ſiqua interjecta ſint ſtramentis; aut paleis ſpinarum vel graminum ſemina, intereant, nec in agrum exportata ſegetes herbidas reddant. Ideoque periti ruſtici, quidquid ovilibus ſtabulisque converſum progeſſerunt, ſuperpoſitis virgeis cratibus tegunt, nec areſcere ventis ſinunt, aut ſolis incurſu patiuntur exuri. *Colum. L. I. c.* 6. Præterea advertunt, medio loco palum e robore, aut robuſteam quamdam materiam deſigi, ita enim fore, ne innaſcantur his ſerpentes. *Id. L.II. c.*15. *Plin. L. XVII. S.*6. Verumtamen propter odoris horrenda a prætorii avertatur aſpectu. *Pallad. L. I. T.* 33. Urb. Adeo omnis colluvies agrorum ſaturitati proficit? Euras. Fere omnis: ſalſamenta tamen & ſabuloſa pinguedinem non conferunt, ſed conſumunt. *Pallad. l. l.* Quin etiam ſatis profuit cineris uſus & favillæ, qui Transpadanis adeo placuit, ut antepoſuerint ſimo jumentorum: quod quia leviſſimum eſt, ob id exurunt - - Et nuper repertum, oleas gaudere maxime cinere e calcariis fornacibus. *Plin. l. l.* Philom. Etiam Virgilius, qui ſua de agricolatione præcepta ad Circumpadanæ Italiæ ritum compoſuit, *Plin. L. XVIII. S.* 30. hanc cineris virtutem agnovit *L. I. Georg.*

IX. *De ejus materia.*

- - - - - arida tantum
Ne ſaturare ſimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.

Euras. Frutex vero lupini ſucciſus optimi ſtercoris vim præbet - - licet enim quamlibet frondem, licet e vepribus compitisque congeſta colligere: licet ſilicem ſine injuria vicini etiam cum officio decidere & permiſcere cum purgamentis cortis: licet depreſſa foſſa - - - cinerem cœnumque cloacarum,

carum, & culmos, cæteraque, quæ everruntur, in unum congerere - - ubi greges quadrupedum verſantur, quædam quotidie, ut culina & caſeale, quædam pluviis diebus, ut bubilia & ovilia, debent emundari - - Reliqua deinde in prædictum locum concavum congerenda & aſſiduo humore ſatianda ſunt, ut herbarum ſemina culmis cæteriſque rebus immiſta putreſcant. Æſtivis deinde menſibus non aliter,' ac ſi repaſtines, totum ſterquilinium raſtris permiſceri oportet, quo facilius putreſcat. *Colum. L. II. c.* 15. Denique etiam copia purgaminis, quam minora animalia edunt, in eandem colluviem congerenda. Eſt autem ſtercus, quod anno requievit, ſegetibus maxime utile, quod vires ſolidas habeat, nec tamen herbas creet: vetuſtius vero minus prodeſt. Pratis recentiſſimum debet injici, quod plus herbarum progeneret. *Id. l. l.* URB. Diſcrimen ergo aliquod in hoc ultimo naturæ purgamento? EURAS. Magnum profecto, etſi in re viliſſima. Tria enim ſtercoris genera præcipua Columella *l. l.* ſtatuit, quod ex avibus, quod ex hominibus, quod ex pecudibus conſit. Avium, inquit, primum habetur, quod ex columbariis egeritur. Deinde quod gallinæ, cæteræque volucres edunt: exceptis tamen paluſtribus, aut nantibus, ut anatis & anſeris: nam id noxium quoque eſt. Maxime tamen columbinum probamus, quod modice ſparſum terram fermentare comperimus. At M. Varro *L. I. c.* 38. principatum tribuit turdorum fimo ex aviariis (turdos enim merulasque magno numero, teſte Cornelio Nepote, paulo ante Auguſti tempora ſaginare cœperunt. *Plin. L. X. c.* 30. cujus pabulo etiam boves ſuesque, neque alio cibo celerius pingueſcunt. Ego arbitror, inquit, præſtare ex aviariis turdorum ac merularum, quod non ſolum ad agrum utile, ſed etiam ad cibum ita bubus ac ſuibus, ut fiant pingues. Addit: tantum pretium eidem tribui, ut, qui aviaria conducunt,

X. *De diverſitate lætaminis.*

ſi caveat dominus, ſtercus ut in fundo maneat, minoris conducatur, quam id, quibus id accedit. Jam tum igitur hæc merx pretio comparabatur: & quidem ſingulæ fimi vehes ex pecudibus minoribus denario. *Plin. L. XVIII. S.* 53. Præſtare tamen columbinum cum Columella ſcripſit Dionyſius Caſſius, qui Magonis libros e Punico in Græcum ſermonem vertit, quod ſit calidiſſimum, ac fermentare poſſit terram, ac ut ſemen aſpergi oportere in agro, non ut de pecore acervatim poni. Secundo loco, quod homines faciunt, Columella ponit, ſi & aliis villæ purgamentis immiſceatur, quoniam per ſe eſt naturæ ferventioris, & idcirco terram perurit. Velut & cæteri auctores, teſte Plinio *L. VII. S.* 6. humanas dapes ad hoc imprimis advocant. Alii ex his præferunt hominum potus in coriariorum officinis pilo madefacto. Alii per ſeſe aqua iterum, largiusque etiam, quam cum bibitur admixta; quippe plus jam ibi mali domandum eſt, cum ad virus illud vini homo acceſſerit. Hæc ſunt certamina, quibus invicem ad tellurem quoque alendam utuntur homines. Aqua igitur corrigendum judicat non ſolum vini vitium, ſed & virus, quod ex humano corpore, per quod transmeat, contrahit: certo enim pro agris eſt ferventior. Aptior eſt tamen ſurculis hominis urina, ut Columella *l. l.* perhibet, quam ſex menſibus paſſus fueris veteraſcere. Si vitibus aut pomorum arboribus adhibeas, nullo alio magis fructus exuberat: nec ſolum ea res majorem facit proventum, ſed etiam ſaporem & odorem vini pomorumque reddit meliorem. Tertium locum obtinet pecudum ſtercus: atque in eo quoque diſcrimen eſt & pugna auctorum; aliis hoc, aliis aliud præferentibus; nam Columellæ quidem ſententia optimum exiſtimatur, quod aſinus conficit, quoniam id animal lentiſſime mandit, ideoque facilius concoquit & bene confectum atque idoneum protinus arvo

fimum

ſimum reddit. Nec adverſatur Varro *l. l.* eundem cum caprino & ovillo conferens, quem Cato *c.* 36. cum Plinio *l. l.* columbino proximum facit: deinde boum: noviſſimum jumentorum armentorumque. Minime bonum equinum Varro aſſerit, ſed in ſegetes: in prata enim vel optimnm ut cæterarum veterinarum, quæ ordeo paſcuntur, quod multam facit herbam. Quidam etiam bubulo jumentorum præferunt, ovillumque caprino, omnibus vero aſininum, quoniam lentiſſime mandunt. E contrario, Plinii quidem opinione, uſus adverſus utrumque pronunciat. Idem Plinius *l. l.* Columellam ſingularis opinionis arguit, quod deterrimum ex omnibus ſuillum dixerit, cum cæteri omnes proxime ſpurcitias ſuum laudent: ſolus Columella damnat. Noſtri certo præ aliis, maxime pro hortorum cultura, magni faciunt, quod nec plantas adurat, ſed refrigeret; nec noxia animalia generet, ſed pellat: etſi urere vineas dicat Plinius *l. l. S.* 46. niſi quinquennio interpoſito, aut riguis diluatur. Hæc fuere apud priſcos differentiæ, idem ſcribit *l. l. S.* 6..ſimulque præcepta re tali utendi, quando & hic vetuſtas ntilior: viſumque jam eſt apud quosdam provincialium, in tantum abundante geniali copia pecudum, farinæ vice cribris ſuperinjici, fœtore aſpectuque, temporis viribus, in quamdam etiam gratiam mutato. Ne vero hodie longius in hoc oleto hæreamus, uſus ſtercoris, qualis in quaque re debeat eſſe, tum dicemus, cum ſingula proſequemur.

DIALO-

DIALOGUS XXI.
DE LIMITIBUS.

ARGUMENTUM.

I. *Quid ſint limites?*
II. *De variis limitum ſignis.*
III. *De ſacro dirimendorum finium.*
IV. *Ejus origo.*
V. *De ſignis hodiernis.*
VI. *Quid rigor, cardo & decumanus.*
VII. *De arboribus & ſepibus.*
VIII. *De dumis, vepribus, palis, viis, foſſis & maceriis.*
IX. *De rivis & alluvionis jure.*
X. *De lapidibus.*
XI. *De limitibus recognoſcendis.*
XII. *De agrimenſoribus, & conficienda totius prædii ichnographia.*

Euras. Laborioſa nobis hodie deambulatione eſt opus: an durant tibi pedes? Urb. His equidem poſſem curſoris inſtar ſtipendia mereri: tu vero qui anniverſario eorum morbo tentaris, longius iter ægre conficies. In quam rem igitur pedum miniſterium requiris? Euras. Ut præfecturæ & prædii tui fines dimetiamur. Urb. Ob id quidem ne pedem efferamus ædibus, niſi ambulationis ſtudio; ſunt enim accurate

I. *Quid ſint limites?*

deſignati. Euras. Et tenes etiam? Urb. Prædii aut agrorum fines recognovi nunquam: præfecturæ vero hic a montium jugis incipiunt, decurruntque ſecundum rivum in planitiem, dum ſe in flumen evolvit: atque propter flumen porriguntur per campos in illum collem, quem Gammas appellant: ac primo per ſeriem illarum arborum ad viam publicam, dein per ſupercilia montis ac illas rupes ſignis notatas iterum in montis juga excurrunt. I modo & limites per ardua montium pedes circumſcribe. Euras. Jam ſatis eſt, ut de his limitibus non inutilem ſermonem faciamus. Urb. Auceps ejus

ejus ero. Euras. Cum ager ſuis limitibus contineatur, limites vero certis ſignis notentur, uſus obtinuit, quod non tam ex proprietate verbi, quam potius elegantia locutionis, quo ſignum ponitur pro re ſignata, limites dicantur ejusmodi ſigna, cum potius ſint indices, teſtes & cuſtodes limitum, quibus infiguntur. Sic Feſtus *L. X.* limites in agris nunc terminos eſſe ait, nunc vias transverſas. Hac ſignificatione Aggenus Urbicus *comment. de limit. agror. in Front.* dixit, quod limes ſit, quodcunque in agro opera manuum factum eſt ad obſervationem finium. Et quamvis limes ſua natura in agro tantum inveniatur, ut dextra ſiniſtraque fines privatorum dividat, uſurpatur nihilominus etiam ad circumſcribendos fines jurisdictionis. Tuæ quidem præfecturæ limites etiam quidquam antiquitatis habent; nam ut ſcribit Flaccus Siculus *de diviſ. & aſſig.* territoria inter civitates & præfecturas alia fluminibus finiuntur: alia ſummis montium jugis ac divergiis aquarum: alia etiam lapidibus poſitis præſignibus, qui a privatorum terminorum forma differant. Montium juga, quæ Aggenus *l. l.* dicta cenſet, quod ipſa continuatione jungantur: velut & rivos & flumina dediſſe natura videtur ad perpetua quædam locorum diſcrimina. Collem autem illum, a te Gammas appellatum, exiſtimo ſic dictum a gammis illic poſitis. Eſt enim limes gammatus figuram literæ Græcæ Γ præferens; nam ſi termini transverſi poſiti fuerint, ⅃ gammam faciunt. *Front. L. II. Fragm.* unde & fundus in gamma jacere dicitur. Gamma autem de petra ſicca conſtruitur. *Hygin. de limit. conſtit.* Arbores terminales non tantum ſunt antemiſſæ, ſed & aliæ, quæ quovis modo finem demonſtrant. *Paul. V. Sent.* Si arbores finales obſervabuntur, videndum erit, quæ ſint arborum genera; nam quidam in finibus naturales qualescunque arbores intactas finales obſervant, alii diverſas: quidam de cunctis

II.
De variis limitum ſignis.

unum tantum genus in finibus relinquunt, quo manifeſtum jus appareat finales eſſe: quidam peregrinis loca munierunt, ut materiæ differentia argumento ſit. *Flacc. Sic. de condit. agr.* Poſt hæc via, dum cum limite currit, etiamſi vicinalis eſt, aut lignaria, aut privata, finem præſtat. *Aggen. in Front.* Multi quoque limites exigente ratione per cliva & confragoſa loca eunt, qua iter fieri non poteſt, *Front. apud Aggen.* ducunturque per collium ſupercilia, quæ teſte Boëthio *L. V. de geomet.* ſunt quidam colles tumentes, quæ ad agrum declinantes deficiunt, ſeu devexitates quædam & declivitates, ubi conſiderandum erit, in quantum ſpatium devexitas ſupercilii extendatur, ne mons ſupercilium ſit, intra paucos enim pedes ſupercilia vocabula accipiunt. *Flacc. Sic.* ubi propter loci difficultatem frequentes inter poſſeſſores lites excitatas fuiſſe monet Frontinus *in fragm.* adeo ut ſuperiores contenti fuerint terminos per ſummum jugum diſponere. Nec videntur antiquæ leges agrariæ rem ſatis decidiſſe. Noſtris moribus, cum fines ad ſupercilium montis dicuntur porrigi, tota quidem declivitas ad inferiores poſſeſſores usque ad marginem ſupercilii, planities vero & quæ ſupra marginem ſe extendunt ad ſuperiores poſſeſſores pertinet. Ubi vero ſubito ſupercilia deficiunt, neceſſe eſt aut terminum, aut arbores, aut quid aliud deſignari. *Flacc. Sic.* Petras denique nativas, quæ in finibus incedunt, ſæpe notatas invenimus. *Flacc. Sic. Frontin. de colon. Aggen. de controv. agr. P. I.* His præfecturæ terminis rite conſtitutis, ac tabulis, ut ſpero, digniſſimis in tablino aſſervatis, ad limites prædii ſeu agrorum tranſeamus. His equidem olim nihil ſanctius, nihil religioſius: quos cum diſponerent, ipſos quidem lapides in ſolidam terram rectos collocabant, proxime ea loca, quibus foſſis factis defixuri eos erant. Sacrificio facto, hoſtiaque immaculata cæſa, facibus arden-

III. *De ſacro dirimendorum finium.*

ardentibus injectis ſanguinem inſtillabant, eoque thura & fruges jactabant: favos quoque & vinum aliaque, quibus conſuetudo eſt terminis ſacrum fieri. Conſumptisque omnibus dapibus igne ſuper calentes reliquias lapides conlocabant, atque ita diligenti cura confirmabant, adjectis etiam quibusdam ſaxorum fragminibus circumcalcabant, quo firmius ſtarent. Tale ergo ſacrificium domini, inter quos fines dirimebantur, faciebant. *Flacc. Sicul.* Urb. Quæ origo ſuperſtitioſi hujus ritus? Philom. Numa Pompilius eundem inſtituit: cum enim ut ſuo quisque contentus eſſet, nec aliena appeteret, definitionibus poſſeſſionum conſtituiſſet, juſſo unoquoque fundos ſuos lapidibus circumſcribere, quos Jovi Terminali ſacravit, inſtitutis deo Termino terminalibus feſtis: cujus religionis opinione ſacrilegum crimen erat, lapidem occulere, aut transferre, ut qui moverit, cum bobus ſacer ac deteſtabilis eſſet deo. *Dionyſ. Halicar. L. II. Antiq.* Sacrum autem illud non minus lepide quam eleganter deſcribitur ab Ovidio *L. II. Faſt.*

IV. *Ejus origo.*

\- - - - - ſolito celebretur honore
Separat indicio qui deus arva ſuo.
Termine ſive lapis, ſive es defoſſus in agro
Stipes ab antiquis ſic quoque numen habes.
Te duo diverſa domini pro parte coronant;
Binaque ſerta tibi, binaque liba ferunt.
Ara fit: huc ignem curto fert ruſtica teſtu
Sumptum de tepidis ipſa colona focis
Ligna ſenex minuit: conciſaque conſtruit alte;
Et ſolida ramos figere pugnat humo.
Dum ſicco primas irritat cortice flammas,
Stat puer & manibus lata caniſtra tenet.
Inde ubi ter fruges medios immiſit in ignes,
Porrigit inciſos filia parva favos.

 Vina

Vina tenent alii: libantur ſingula flammis.
    Spectant & linguis candida turba favent.
Spargitur & cæſo communis Terminus agno:
    Nec queritur, lactens cum ſibi porca datur.
Conveniunt celebrantque dapes vicinia ſimplex;
    Et cantant laudes, Termine ſancte, tuas.
Tu populos, urbesque, & regna ingentia finis,
    Omnis erit ſine te litigioſus ager.
Nulla tibi ambitio eſt: nullo corrumperis auro:
    Legitima ſervas credita rura fide. - - -
Quid nova cum fierent Capitolia? nempe deorum
    Cuncta Jovi ceſſit turba locumque dedit.
Terminus, ut veteres memorant, conventus in æde
    Reſtitit: & magno cum Jove templa tenet.
Nunc quoque, ſe ſupra ne quid niſi ſidera cernat,
    Exiguum templi tecta foramen habent.
Termine, poſt illud levitas tibi libera non eſt:
    Qua poſitus fueris in ſtatione mane.
Nec tu vicino quicquam concede roganti,
    Ne videare hominem præpoſuiſſe Jovi.
Et ſeu vomeribus, ſeu tu pulſabere raſtris;
    Clamato: meus eſt hic ager, ille tuus.

V. *De ſignis hodiernis.* EURAS. Velut olim, ita in præſens fundi noſtri finiuntur terminis & arboribus notatis, & antemiſſis, & ſuperciliis, & vepribus, & viis, & rivis, & foſſis. In quibusdam regionibus palos pro terminis obſervant: alii iliceos, alii oleagineos, alii vero juniperos. Alii congeries lapidum pro terminis obſervant, & ſcorpiones appellant: aut in ſpeciem maceriarum congerunt lapides & attinas appellant. In quibusdam regionibus alii terminos ſiliceos ponunt: alii diverſarum materiarum: quidam vero curant invehere qualescunque peregrinos lapides,

lapides, ut manifeſtum ſit ex induſtria finales poſitos: quidam etiam politos: alii vero inſcriptos: alii etiam numeri ordine notatos diſponunt: alii tantummodo inflexis verſuris: alii in longioribus ſpatiis complures etiam æqualibus intervallis: in quibusdam vero regionibus in verſuris omnibus binos poſuerunt, ita ut ſuum quisque rigorem intueretur: nam & variis regionibus ſigna defodiunt pro terminis: aliquando etiam petras occurrentes in finibus notatas invenimus, & quas, ſi perſeveret rigor, rectas notas habentes, in verſuris vero gammas, ſed ſpectantes ſuos rigores: aliquas etiam decuſſatas invenimus. Ergo conſuetudines maxime regionum intuendæ & ex vicinis exempla ſumenda ſunt. Omnia diligenti cura exquirenda erunt, ut ſecundum conſuetudinem regionum & terminorum fidem conſtent fines. *Flacc. Sicul.* Tria hic fors peregrina tuis auribus vocabula, ne, quæ ſequuntur, obſcuriora videantur, paucis explicanda ſunt: rigor, cardo, & decumanus. Rigor eſt, quidquid inter duo ſigna vel in modum lineæ rectum perſpicitur; nam quidquid in agro a menſore operis cauſa ad finem directum fuerit, rigor appellatur. *J. Frontin. de agr. qual.* Dein ab Hetruſcorum aruſpicum diſciplina, orbem terrarum in duas partes ſecundum ſolis curſum dividentium, duos limites conſtituerunt: unum qui ab oriente in occidentem dirigeret: hunc appellaverunt decumanum. Alterum a meridie in ſeptemtrionem, qui a mundi cardine cardo vocatur. *Hygin. de limit. conſtit. Plin. L. XVIII. S.76. & ſeq.* Alicubi igitur pinos invenimus, alicubi cupreſſos, alibi fraxinos, aut ulmos, aut populos, quæque alia ipſis poſſeſſoribus placuerunt. *Flacc. Sicul.* ſic enim Varronis uxor pinos habuit in Sabinis: ipſe cupreſſos in Veſuvio: alii ulmos, quod ubi poteſt, inquit ipſe, nulla potior ſerenda, quod maxime fructuoſa, quod & ſuſtinet ſepem, ac colit: aliquas cor-

VI. *Quid rigor, cardo & decumanus.*

VII. *De arboribus & ſepibus.*

bulas uvarum & frondem jucundiſſimam miniſtrat ovibus ac bubus, ac virgas præbet ſepibus, & foco, ac furno. *Varr. L. I. c.* 15. Advertit tamen ſine ſeptis fines prædii notis arborum tutiores fieri, ne familiæ rixentur cum vicinis, ac limites ex litibus judicem quærant. URB. Jam ſentio aliquid mali propter vicinum malum. EURAS. Si arboribus notatis fines obſervabuntur, videndum, qua parte arbores notatæ ſint: notæ enim in propriis arboribus foras ponuntur, ut arbores liberas in parte interiori nota relinquat. Si communes ſunt arbores, mediæ notantur, & ad utrumque pertinent. *Aggen. in Front.* Arbores antemiſſæ dicuntur, quas non nulli jam ante poſſeſſionum ſuarum fines dimittere ſolent intactas, ex quibus neque frondem, neque lignum, neque cremium cædant, ut magnitudine cæteras antiſtent, & ſic obſervationem finium præſtent. *Flacc. Sic.* In quibusdam vero regionibus ſæpe per longum ſpatium & inter multos poſſeſſores rigores dumique finem faciunt. *Flacc. Sic. Dolabel. in fragm.* nam, ut advertit Columella *L. XI. c.* 3. vepres manifeſtum eſt interimi non poſſe, niſi radicitus evodere velis, cum etiam poſt ignis injuriam melius renaſcantur. Vepres igitur ſi finem facient, videndum, quales: & ſi tantummodo in extremis finibus ſint & ſatæ manu virgula media; unde & arbores ſolent antemiſſæ in vepribus inveniri. *Flacc. Sic.* In fragmentis Magonis & Vegojæ palorum picatorum ſit mentio; ut nempe tempeſtatum injurias diutius ferant, pice obducebantur: alii tamen palos ſpicatos legunt, quod velut quidam lapides acuminati ſint. Via dum cum limite currit; etiamſi vicinalis ſit, aut lignaria, aut privata, finem præſtat. *Aggen. l. l.* licet non ſit publica & militaris; ſic enim in lege Tiberii Cæſ. monumentum, quod ad itinera publica eſt conſtitutum, rationem finium non recipere dicitur, niſi forte inter convenientes ager diviſus

VIII. *De dumis, vepribus, palis, viis, foſſis & maceriis.*

ſæ, ne ſi quis ſiccandorum agrorum cauſa aliquando fecerit, finales eſſe videantur; nam & intelligi poteſt aliquando ex ipſarum foſſarum poſitione, utrum propriæ, an finales ſint, quoniam transverſæ quædam aut obliquæ a finibus recedunt. *Flacc. Sic.* Si vero ſubſtructionibus & maceriis finientur agri, videri debet, quales ſint: quoniam quidam congeſtionibus lapidum, ripis, ſubſtructionibus terras, ne dilabantur, excipiunt. Itaque ſi ad tutelam terrarum extruantur, videndum, an & finitiones præſtare debeant: ſi enim proprias quis faciat in terris ſuis ad ſuſtinendos ſervandosque agros ſuos non poſſe eas eſſe finales. *Idem.* Quidam rivi a fonte ſeu capite, dum in flumen, aut mare ſeſe evolvunt, fines poſſeſſionibus præſtant: quidam vero ultro citroque transmittunt poſſeſſores. Rivus autem quoties finem facit, appellatur rivo recto; quia ſi alicujus terras minutatim ex alia parte abſtrahat, & alii contrario relinquat, alluvionum repetitio & finium haud datur; indicit enim neceſſitatem riparum tuendarum. Quod juſte videtur proſpectum, ut terræ poſſeſſoribus ſalvæ ſint: etiam publicæ utilitatis cauſa, quod vi tempeſtatum rivi torrentes ſubito alveos curſumque mutent, munientes: tum erit, ut alvei veteris fines ſuos quisque obtineat. *Flacc. Sicul.* velut Caſſius Longinus ſtatuit, ut quidquid aqua lambendo abſtulerit, id poſſeſſor amittat; quoniam ſcilicet ripam ſuam ſine alterius damno tueri debet. Si vero majori vi decurrens alveum mutaſſet, ſuum quisque modum agnoſceret; quia non poſſeſſoris negligentia, ſed tempeſtatis violentia abreptum apparet. *Aggen. Comment. in Frontin.* Si igitur ſubitis, aſſiduis aut violentis imbribus intumeſcens contempto alveo ripisque modum ſibi adſcriptum egrediatur, æquum videtur, injuriam paſſos

IX. *De rivis & jure alluvionis.*

X. *De lapidibus.* paſſos ſubſequi terras usque ad alveum fluminis. *Flacc. Sicul.* Præ cæteris autem deſignandorum limitum notis lapides aſſumebantur, & pro decumanis magis conſpicui, qui tum a materia, tum a forma diverſa ſortiti ſunt nomina, ut alii teſtacei, ſive cocti, ſilicei, molares: aut a varii coloris marmore, virides, praſini, palumbacei & albi: aut a forma cubi, longi, tornatiles, rotundi, oblongi, hemcyclares, ſcutanei, ſubcavi, ſubcumbi, trigoni, laminæ: aut politi, impoliti, plani & tutulati, lineati, inſcripti (qui gammæ compellantur) & muti, ſeu nulla inſcriptione inſignes. Præterea etiam lapides naturales, vivos, ſeu nativos ceciderunt & in fines conſtituerunt. Latera autem lapidum recte inſcribuntur, quoniam ampliores numeros capiunt; nam verticibus inſcribi non facile omnia poſſunt. *Hygin. l. l.* PHILOM. Certe de ejusmodi lapideis terminis jam Æneæ temporibus memoriam facit Virgilius:

Saxum antiquum, ingens, campo qui forte jacebat,
Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.

EURAS. Hos ex lapide terminos ſcriptores rei agrariæ cæteris præferre videntur; licet enim moveri loco poſſint, ſi tamen peſſima hæc fraus abſit, aliis ſignis limitum indices ſunt accuratiores, non ſolum inſcriptionis ſed & lineæ indicio in vertice ſignatæ, reſpicentisque alterius lapidis rigorem: cum a contrario aliis ſignis, exempli cauſa arbuſto, nihil ejusmodi poteſt apte finiri. Ponantur vero loco patenti ac paulo eminentiori, ut ſe reſpicere poſſint fronte alterius ſibi reſpondentis fronti oppoſita, latiori ſeu inferiori parte in fundum ſolidum, ne altius ſe demergat, immiſſa: aut ſi in latus procumbat, in tergo linea ducatur, aut etiam in formam crucis transverſa. Quibusdam placet, ut ſub omnibus terminis ſignum inveniri oporteat, ut cineres, carbones, teſtas, vitrea fracta, oſſa ſuccenſa, calcem, gypſum, fragmenta laterum, maſſas

ferri,

ferri, æris, vaſa fictilia &c. quod ipſum voluntarium, non neceſſarium eſt, *Flacc. Sicul. Fragm. term.* utiliter tamen hodie adhibentur, quod in dubio, lapidem pro termino ac data opera poſitum eſſe, certo indicet. Sunt autem quidam tam immunifici vicini, ut ſingulis annis aut quidquam fundi rapiant, aut ſi pulviſculum aratro abſtuleris, litem moveant, ne tantum tibi moleſtiarum ac ſumptuum devorandum ſit, magnam tuendorum finium rationem ducas, & in occipitio quoque te oculos habere oportet in tales, qui acervum ut mures comedunt, aut quaſi lumbricus terram. Sed cave, ne ipſe quaſi mus edas alienum cibum, aut propter fungum putidum aut nucem caſſam in jus voces. PHILOM.

XI. *De limitibus recognoſcendis.*

\- - - - civi immuni ſcis, quid cantari ſolet?

Quod habes, ne habeas: & illud, quod nunc non habes, habeas malum:

Quandoquidem nec tibi bene eſſe potes pati, nec alteri.

Plaut. Trinum. II. 2.

EURAS. Ad defugiendas igitur has moleſtiſſimas controverſias villicus quidem annis ſingulis, tu vero poſt aliquot eorum decurſum, verno tempore priusquam ſatus vel gramen ſaxa obtexerit, genuina finium deſcriptione inſtructus omnes terminos perluſtrabis, accitis non ſolum vicinis, ubi opus videbitur & duobus teſtibus rerum gnaris, ſed etiam aliquot pueris, qui vivacis memoriæ cauſa velut futuri aliquando teſtes aut virga aut alapa percutiuntur, recentique argenteo numo munerantur ad illos terminos, qui temporis progreſſu poſteris ambigui videri poſſent, ut ab omni oblivionis injuria in perpetuum vindicentur. Quod ſi quid vel aquarum eluvie, aut tempeſtatum vi, aut fraude hominum, aut caſu læſum, fractum, exciſum, evulſum, effoſſum, everſum, exaratumque videbitur, in omnium quorum intereſt præſentia atque com-

muni conſenſu corrigatur, & inſtauretur, atque in adverſaria domeſtica referatur. Sic enim omnes olim, teſte Flacco Siculo, ex convenientia, ſeu mutua voluntate & pacto, terminos ponebant: & legibus Viſigothorum ſevere præcipitur, ne quis novum terminum ſine conſortis præſentia, aut ſine inſpectore conſtituat. Nata igitur controverſia æs reſpicitur *Frontin.* ſeu æreæ tabulæ publicæ, quæ formas agrorum continent, & acceptarum modum declarant, *Flacc. Sicul.* ſeu hodie tabulæ provinciæ, aut adverſaria judicialia, aut antiqua, ut vocant, urbaria, pacta & conventiones, hæreditatum diviſiones, aliaque documenta fide digna, & teſtes conſuluntur.

XII. *De agrimenſoribus, & conficienda totius prædii ichnographia.*

Ex legibus XII. tabul. ſi quando contentio inter vicinos fundos oreretur de finibus, aut obſcuratis, aut turbatis, vel de ſpatio locorum, & modo agrorum, tres arbitri regendis finibus dabantur. *Cicer. L. II. de leg.* Reliquiæ legis in hæc verba leguntur: ſi jurgant affines, finibus regundis prætor arbitros tres addicito. Jurgium autem & lis diſcrepant: nam jurgium contentio eſt juris inter benevolos & propinquos exorta, unde jurgatio quaſi juris actio, *Feſt. L. IX.* & jurgare eſt jure agere. *Varr. L. IV. de L. L.* Lis vero eſt inimicorum concertatio vehementior. *Cicer. L. IV. de Rep. apud Non.* Affines vero dicuntur tam qui ſanguine, quam qui prædiis conjunguntur. Finalis igitur jurgii judicium etiam ex Theodoſii & Arcadii conſtitutione committebatur artisperitorum arbitrationi, qui etiam menſores agrorum, agrimenſores, metatores, finitores & limitatores dicebantur, eorumque opera in limitum rectura potiſſimum verſabatur; cum enim aliqua judicandi parte gauderent, omnia prius oculis & mente perluſtrantes, tum teſtimoniis, tum aliis quibuscunque argumentis utebantur. *Aggen.* Et quamvis hodie hac judicandi poteſtate exuti ſint, non ſolum tamen in judiciis, velut alii artis periti, ſed

ſed & extra illa utiliter adhibentur, maxime ad perficiendam totius prædii ichnographiam, in qua omnes termini agrorum, pratorum, paſcuorum, ſilvarum, vinearum cum ſuis ſignis, notis, inſcriptionibus, viis vicinalibus, publicis & privatis, atque nominibus propriis adumbrentur coloribus. Hæc tabula ad artis leges, ſeu diagraphice, deſcripta ad internoſcendos prædii limites, qui forte ſubmotis ſubmerſisve terminis conturbati, aut obſcurati ſunt, magnam præſtabit operam. Muri quoque, quibus prædium ex illa parte cingitur, de moleſtiſſima finium regundorum controverſia te reddunt ſecurum: ſed cætera ſeptorum genera non æque te extra hujus teli jactum conſtituunt, quæ annuæ reparationis neglectu tantas ruinas acceperunt, ut per patentes eorum hiatus equos agitare cum curru, velut in Circenſibus ludis, poſſes. Hinc de ſepibus ſermonem injicere opportunum duco.

* * * * * * * * * * * * * * * * * * *

DIALOGUS XXII.
DE SEPIBUS.

ARGUMENTUM.

I. *De interſtitio ſepis.*	V. *De ſepe agreſti ex palis.*
II. *De commodis ſepis naturalis.*	VI. *De ſepe militari.*
III. *Modus plantandi ſepem vivam ope ſeminis.*	VII. *De ſepe fabrili & ejus ſpeciebus.*
IV. *Per ſurculos & ſtolones.*	VIII. *De ſepimentis vivariorum.*

Euras. Jam legibus XII. tabul. ex Solonis ſententia ſancitum erat, ut inter confines fundos quinque pedum liber eſſet tranſitus, qua ſine incommodo ire, agere, aratrum, circumvertere liceret, vocabaturque confinium. Statuerat enim So- I. *De interſtitio ſepis*

Kk 2 lon,

lon, ne, qui ſepem foderet, excederet præſcriptos fundi limites, ſingulaque diſtinctis ſepium, maceriarum & arborum intervallis notaverat. *Plutarch. in Solo.* Ex lege vero XII. tabul. illud quinque pedum ſpatium, interſtitium ſepis dictum, nunquam apud judicem ſeu arbitrum finium regundorum adducebatur in controverſiam, aut uſucapioni obnoxium erat: intra quinque pedes uſus auctoritas nec eſto. *Fragm. L.* Extra illud confinium parietem, ſepta lignea & lapidea extruere, aut ſepes agrorum ſpinis & ramis tutandi fundi cauſa contexere licebat. Quamvis noſtris moribus jus illud confinii, præterquam in viis publicis, ſublatum ſit, durat tamen in non nullis locis conſuetudo, ut novam excitaturus ſepem, non proxime ad fines vicini, ſed aliquot pedes retrorſus, nec quacunque ex materia, ſed quæ legibus permiſſa, conſtruat. Earum tutelarum genera quatuor: unum naturale, alterum agreſte, tertium militare, quartum fabrile. Horum unumquodque ſpecies habet plures. Primum naturale ſepimentum vivæ ſepis, quod obſeri ſolet virgultis, aut ſpinis, quod habet radices, ac prætereuntis laſcivi non metuet facem ardentem. *Varr. L. I. c.* 14. Vivæ itaque ſeu naturalis ſepis emolumentum eſt, ſi ex vepribus conſtruatur, quod noctu face prælucente iter agentes, & illam per laſciviam jaculantes, aut ignem non concipiat, aut confecta etiam paulo poſt lætius renaſcatur: ab incurſu tamen hominum pecudumque muniat. Hinc Democritus apud Columellam *L. XI. c.* 3. parum prudentes eos facere cenſuit, qui munimenta extruunt, quod neque latere fabricata materies perennare poſſit, pluviis ac tempeſtatibus plerumque infeſtata, neque lapides ſupra rei dignitatem poſcat impenſa: ſi vero amplum modum ſepire quis velit, patrimonio eſſet opus. Vetuſtiſſimi igitur auctores vivam ſepem ſtructili prætulerunt, quia non ſolum minorem impenſam deſi-

II. *De commodis ſepis naturalis.*

deſideraret, verum etiam diuturnior immenſis temporibus permaneret. Itaque vepres efficiendi conſitis ſpinis rationem talem reddiderunt: locus, quem ſepire deſtinaveris, ab æquinoctio autumnali ſimul atque terra maduerit imbribus, circumvallandus eſt duobus ſulcis tripedaneo ſpatio inter ſe diſtantibus. Modum altitudinis & latitudinis eorum abunde eſt eſſe bipedaneum: ſed eos vacuos perhiemare patiemur præparatis ſeminibus, quibus obſerantur. Ea ſint vaſtiſſimarum ſpinarum, maximeque rubi & paliuri & ejus, quam nos ſentem canis appellamus. Horum autem ruborum ſemina quam maturiſſima eligi oportet & erui moliti farinæ immiſcere: quæ cum eſt aqua conſperſa, illinitur vel nauticis veteribus funibus, vel quibuslibet aliis reſtibus. Siccati deinde funiculi reponuntur in tabulato: mox ubi bruma confecta eſt, intermiſſis quadraginta diebus, circa hirundinis adventum, cum jam Favonius exoritur, poſt Id. Febr. ſiqua in ſulcis per hiemem conſtitit aqua, exhauritur, reſolutaque humus, quæ erat autumno regeſta, usque ad mediam ſulcorum altitudinem reponitur. Prædicti deinde funes de tabulato prompti explicantur & in longitudinem per utrumque ſulcus porrecti obruuntur, ſed ita, ut non nimium ſupergeſta terra ſemina ſpinarum, quæ inhærent toris funiculorum, enaſci poſſint. Ea fere circa trigeſimum diem prorepunt: atque ubi cœperunt aliquod incrementum habere, ſic inſueſci debent, ut in id ſpatium, quod ſulcis interjacet, inclinentur. Oportebit autem virgeam ſepem interponere, quam ſuperſcendant ſentes utriusque ſulci, & ſit, quo interdum quaſi adminiculo, priusquam corroborentur, acquieſcant. - - - Locum autem eligi conveniet, ſi permittit agri ſitus, juxta villam, præcipue pinguem, quique adveniente rivo, vel ſi non ſit fluens aqua, fonte puteali poſſit irrigari. *Colum. l. l.* Hunc modum ſerendi

III. *Modus plantandi ſepem vivam ope ſeminis.*

 myr-

myrtum ex Democrito tradit Plinius *L. XVII. S.* 11. grandiſſimis baccarum tuſis leviter, ne grana frangantur, eaque intrita reſte circumlini, atque ita ſeri: parietem fore denſitatis, ut ex ea virgulæ, ſeu ſurculi plurimi cædi & alio transferri poſſint. Sic & ſpinas ſepis cauſa ferunt, inquit, tomice moris ſpinarum circumlita, ſeu junceo funiculo moris, quæ rubi vel ſpinæ ſeminis vice ferunt, circumligato. Et hanc rationem magis probat Palladius *L. I. c.* 34. quam ſi ſpinarum plantas in munitione diſponeremus, ſubmonens, teneros ſentes ideo opus eſſe adminiculis adjuvare, ut inter ſe per ſpatia vacua relicta jungantur. PHILOM.

Hos natura modos primum dedit, his genus omne
Silvarum, fructicumque viret, nemorumque ſacrorum.
Virgil. L. II. Georg.

IV. *Per ſurculos & ſtolones.* EURAS. Sed Plinius *l. l. S.* 13. laudat & illum modum, quo ſurculi abſciſſi feruntur, dicitque hoc primo ſepis cauſa factum ſambucis, cotoneo, & rubis depactis. PHILOM. De quo pariter illud Virgilii *l. l.* accipio:

Nil radicis egent aliæ, ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.

EURAS. Illi vero, qui non tam pro tutela, quam ornatu parietes & ambulacra Punicis, corylis, malis, ſorbis, meſpilis, fraxinis, ficis, imprimisque vitibus inveſtiri cupiunt, ſtolones ab arboribus cum perna ſua avulſas partemque aliquam e matris corpore cum non nullis fibris & radicibus auferentes plantant. *Plin. l. l.* PHILOM.

Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis. *Id. l. l.*

V. *De ſepe agreſti ex palis,* EURAS. Secunda ſepes eſt ex agreſti ligno, ſed non vivit. Fit autem palis ſtatutis crebris, e virgultis implicatis: aut lapis perforatis, & per ea foramina trajectis longuriis fere bi-

nis,

nis, aut ternis: aut ex arboribus truncis demiſſis in terram, deinceps conſtitutis. *Varr. l. l.* Hæ igitur ſepes agreſtes ſtipitibus duris ſudibusque præuſtis, aut canteriis, aut palis, trajectis per eos longuriis, vel vitilibus, implicatisque viminibus ad tutelam agrorum pomariorumque ruſticorum ſtruuntur: aut excitantur ex plancis coagmentatis, ut vocat Palladius *L. I. T.* 21. quæ ſecundum Feſtum *in Fragm. Farneſ.* ſunt tabulæ planæ, ut ob eam cauſam planci appellentur, qui ſupra modum pedibus planis ſunt: plautique vocentur canes, quorum aures languidæ ac flaccidæ, ut latius videantur patere: plotique appellati ſunt Umbri, pedibus planis quod eſſent. Tertium militare ſepimentum eſt foſſa & terreus agger: ſed foſſa ita idonea, ſi omnem aquam, quæ cœlo venit, recipere poteſt, aut faſtigium habet, ut exeat e fundo. Agger is bonus, qui intrinſecus (extrinſecus) junctus foſſa, aut ita arduus, ut eum tranſcendere non ſit facile. Hoc genus ſepes fieri ſecundum vias publicas ſolent, & ſecundum amnes - - - videre licet locis aliquot conjunctos aggeres cum foſſis, ne flumen agris noceat. Aggeres qui faciunt ſine foſſa, eos quidam vocant muros. *Varr. L. I. c.* 14. Non placet Palladio *L. I. T.* 34. his foſſis ſpatia colenda præcingere, quod horto ſubducat humores, niſi forte locus paluſtris colatur; uliginem enim exhaurit, nimiumque humorem. Unde nec Columella *L. V. c.* 10. locum pomarii præcipiti foſſa circummuniri approbat, ut non ſolum pecori ſed & homini tranſitum negare valeat. Hoc igitur ſepimenti genus militare vocavit Varro, quod inſtar militaris foſſæ præducatur: qua aperta ſimul conſtruebatur vallum, ſeu aggeſtum e terra & ſudibus ad labrum interius foſſæ inſtar muri; nam ſi terra ſolutior fuerit, ut ad ſimilitudinem lateris ceſpes non poſſet abſcindi interpoſitis ſtipitibus ramisque arborum, ne terra facile dilabatur, agger erigi-

VI. *De ſepe militari.*

erigitur, & crebris ſuris ſeu palis munitur. *Veget. L. I. & III. de re milit.* Hodie militari hoc ſepimento in paluſtribus locis fere tantum, & ubi magna eſt lignorum inopia, utuntur: frequenter vero ad arcendas pecudum noxas palorum ſepem objiciunt, quam ſupra agreſtem compellavimus; pro qua advertit Plinius *L. XVII. S.* 24. quod ſedulus agricola caſam ſepis munimento cingens, quo minus putreſcerent ſudes, limen ſubdat ex hedera: at illæ vivaci morſu apprehenſæ ſuam ex aliena facient vitam, apparebitque truncum eſſe pro terra. Urb. Sed opus eſt ingenti exercitu palorum. Euras. Si minori impendio conſtent, per me poteris etiam dentibus elephantorum villam obſepire, quos in extremis Africæ partibus in domiciliis & pecorum ſtabulis pro palis infigunt. *Polyb. apud Plin. L. VIII. S.* 10. Quartum fabrile ſepimentum eſt novissimum (notiſſimum) maceria. Hujus fere ſpecies quatuor: quod fiunt e lapide - - quod e lateribus coctilibus - - quod e lateribus crudis - - quod ex terra & lapillis compoſitis in formis. *Varr. l. l.* Cum jam ſupra ex Columella *L. XI. c.* 3. notaverim, munimenta ex latere, aut lapidibus & calce fabricata, ac a Catone *c.* 15. deſcripta circum totius prædii ambitum, devoratura patrimonium, ideo alii luto inter formas clauſo, parietes figuratos ex lateribus imitantur: alii, quibus copia ſuppetit, macerias luto & lapide excitant: plerique ſine luto congeſta in ordinem ſaxa componunt. *Pallad. L. I. T.* 34. Nos cum uſum illorum parietum formaceorum, quos in Africa Hiſpaniaque ex terra appreſſis forma utrinque tabulis inſtruunt, quique incorrupti imbribus, ventis & ignibus ævis durare, omnique cœmento firmiores eſſe dicuntur, *Plin. L. XXXV. S.* 48. ignoramus, nec commendare poſſumus, nec ſumptuum inire rationem. Neque enim de operoſis illis & validis urbium munimentis, quos Vitruvius *L. I. c.* 5. & Ve-

VII. *De ſepe fabrili & ejus ſpeciebus.*

& Vegetius *de re milit. L. IV.* deſcribit, nobis ſermo eſt, ſed de ruſticis ſepimentis. Alteræ vero ex luto & lateribus ſive lapidibus maceriæ in ſpeciem verius, quam in tutelam conſtructæ, eoque magis ruinis obnoxiæ; PHILOM. Non igitur fraudem fecit ancilla illa apud Plautum *in Trucul. II. 2.* cum objectanti ſervo:

Quin maceria illa, ait, in horto quæ eſt: quæ in noctes ſingulas

Lateri fit minor, qua iſte ad vos damni permenſu'ſt viam; vetuſtatem obtendens reſpondiſſet:

Non mirum, vetus eſt maceria, lateres ſi veteres ruunt. EURAS. Alias igitur macerias tum ad repurgandum agrum, tum ad ſubſtructiones terrarum, ne diiabantur, tum ad tutelam *Flacc. Sicul. de cond. agr.* ſine calce & luto ex ſilice aut lapidibus duris fere æquatis, alterna quadam coagmentatione & commiſſura, velut ad normam ſtructuræ reticulatæ excitant, quæ licet fundum a vi hominum peſſimorum, quos parietes perfodere dicit Plautus *in Aſin. III. 2.* non reddunt usquequaque tutum, ab injuriis tamen pecorum egregie defendunt. Venio jam ad tutelam pecudum ſilveſtrium, quas & ipſas villaticas paſtiones jure dixerim, ſiquidem mos antiquus lepuſculis capreisque ac ſimilibus feris juxta villam plerumque ſubjecta dominicis habitationibus ponebat vivaria, ut & conſpectu ſuo clauſa venatio poſſidentis oblectaret oculos, & cum exegiſſet uſus epularum, velut e cella promerentur. *Colum. L. IX. præf.* Feræ pecudes, ut capreoli damæque, nec minus orygum cervorumque genera & aprorum, modo lautitiis & voluptatibus dominorum ſerviunt, modo quœſtui ac reditibus. Sed qui venationem voluptati ſuæ claudunt, contenti ſunt, utcunque competit proximus ædificio loci ſitus, munire vivarium - - qui vero quœſtum reditumque deſiderant,

VIII. *De ſepimentis vivariorum*

cum eſt vicinum villæ nemus, id enim refert, non procul eſſe ab oculis domini, ſine cunctatione prædictis animalibus deſtinant. *Id. l. l. c.* 1. Vivaria aprorum cæterorumque ſilveſtrium primus togati generis invenit Fulvius Lupinus, qui in Tarquinenſi feras paſcere inſtituit. Nec diu imitatores defuere L. Lucullus & Q. Hortenſius. *Plin. L. VIII. S.* 78. de cujus, & quod ipſe a M. Piſone emerat, vivario, mira narrat Varro *L. III. c.* 13. qui *c.* 12. advertit, in leporario oportere eſſe ſepta e maceriis ita clauſa & alta, ne felis aut melis aliave beſtia introire poſſit. Leporaria autem accipere volo, inquit Gellius *L. II. c.* 20. non ea, quæ tritavi noſtri dicebant, ubi ſoli lepores ſint, ſed omnia ſepta ædificia villæ, quæ ſunt & habent incluſa animalia, quæ paſcuntur: Scipioni enim roboraria compellare placuit, quod ſepta ex tabulis roboreis haberent. Verum ſi lapidis & operæ vilitas (utilitas) ſuadeat, haud dubie cœmentis & calce formatus circumdatur murus: ſin aliter, crudo latere, ac luto conſtructus. Ubi vero neutrum patrifamilias conducit, ratio poſtulat vacerri includi: ſic enim appellatur genus clatrorum: idque fabricatur ex robore, quercu, vel ſubere - - quidquid denique ſub injuria pluviarum magis diuturnum eſt, pro conditionis regionis ad hunc uſum eligitur. Et ſive teres arboris truncus, ſive ut craſſitudo poſtulat, erit fiſſilis ſtipes, compluribus locis per latus efforatur, & in circuitu vivarii certis intervenientibus ſpatiis defixis erigitur: deinde per transverſa laterum cava transmittuntur ramices, qui exitus ferarum obſerent. Satis eſt autem vacerras inter pedes octonos defigere, ſeriſque transverſis ita clatrare, ne ſpatiorum laxitas, quæ foraminibus intervenit, pecudi præbeat fugam. *Colum. l. l.* Urb. Laudo hæc, quia tamen contra hominum noxas non ſat firmam præbent tutelam, majores mei vivarium muro ſepiverunt, quod,

cum

cum otium nobis fuerit, paulo diligentius luſtrabimus. Euras. Recte mones, ut tetigiſſe ſatis ſit; nam præ cæteris villicus ſalutaribus imbuendus eſt præceptis, quæ proxime ſubminiſtrabimus.

DIALOGUS XXIII.
DE VILLICO.

ARGUMENTUM.

I. *Cur pauci prædia per villicum colant.*
II. *Quem præ colono habere præſtat.*
III. *Qui ad villici munus non idonei.*
IV. *De ætate, conditione & experientia villici.*
V. *De inſtitutione villici.*
VI. *Soli naturam noſcat.*
VII. *An aſtrologiam?*
VIII. *De aliarum rerum notitia.*
IX. *De religione & diſciplina.*
X. *Quæ feriis agenda.*
XI. *De fidelitate.*
XII. *De officiis in famulos.*
XIII. *Non ſit ambulator.*
XIV. *De ſobrietate & continentia.*
XV. *De cura pro ſanis & ægrotis.*
XVI. *Familiam exerceat.*
XVII. *Opera ruſtica ipſe curet.*
XVIII. *Quæ mane agenda & veſperi.*
XIX. *Alios inſtruat.*
XX. *Selectum in miniſtris faciat.*
XXI. *De aliis officiis ſtrictim.*

Euras. Struximus villam, ſupellectili inſtruximus, ſepibusque munivimus, jam eidem & villicum præficiamus. Urb. Quem tu villicum vocas? Euras. Villicus agri colendi cauſa conſtitutus atque appellatus a villa, quod ab eo in eam convehuntur fructus, & evehuntur, cum veneunt. *Varr. L. I, c. 2.* Urb. Villicum igitur famuloſque, non colonum ſeu

I. *Cur pauci prædia per villicum colant.*

 con-

conductorem aſſumendum ſuades, in quem hucusque præter majorum meorum inſtitutum pro certo pretio totius villæ fructus curasque elocaveram. EURAS. Tenes amice, quod tibi primum, quod poſtremum recenſeam. Qua enim rei familiaris amplificatione avus parensque tuus villam longe præſtantiſſimam a villico excoli curaverint, qua patrimonii jactura tu eam conductoribus evertendam credideris, haud eſt, ut ex me quæras. PHILOM. Poſtquam horum perfidia magna pars diffluxit patrimonii, rationes ſunt tam liquidæ, quam eſt tempeſtas hodie. EURAS. Et quamvis proximis quinque annis non lætos admodum atque uberes fructus capies, ſed magnos inſuper ſumptus impendes, progreſſu tamen temporis, cum fundus ad antiquam culturam redigetur, metes cum fœnore. URB. Pauci hunc modum colendi prædia tenent. PHILOM. Paucis etiam bene & perſpecte ſapit pectus. EURAS. Multi enim jus averſantur: multi ejus diſciplinam ignorant: multi muneribus publicis avocantur: multi hoc ſtudio, ceu quodam ſeculi noſtri vitio abſtinent, quia ut Columella *L. I. præf.* ait: diſciplina ruris flagitioſa illis & quodammodo pudenda aut inhoneſta videtur, cum tamen pluribus ſcriptorum monumentis admoneamur, apud antiquos noſtros fuiſſe gloriæ curam ruſticationis, quam majorum noſtrorum optimus quisque optime tractavit; cujus præcepta ſi vel temere ab indoctis, dum tamen agrorum poſſeſſoribus, antiquo more adminiſtrarentur, minus jacturæ paterentur res ruſticæ, nam induſtria dominorum cum ignorantiæ detrimentis multa penſaret: nec quorum commodum ageretur, tota vita vellent imprudentes negotii ſui conſpici, eoque diſcendi cupidiores agricolationem pernoſcerent. URB. Vis igitur, ut velut Numæ ævo, ipſus coloni munera obeam. EURAS. Id quidem minime, ſed ut rus reviſas ſæpius, nec curam ſummæ

rerum

rerum in colonum rejicias: atque frequenter inquiras, an commiſſam ſibi provinciam ſedulo adminiſtret, hoc prolixe deſidero: nam quod res noſtræ minus proſpere provehantur, hoc, quidquid eſt exitii, inde profluit, quia nunc & ipſi prædia noſtra colere dedignamur, & nullius momenti ducimus, periſſimum quemqne villicum facere; nec hnjus magna erat opera, cum ipſi domini quotidie negotia ſua reviſerent, atque adminiſtrarent; nunc vero cum pleraque ſic luxu & inertia diffluant, nihil mirum eſt - - - *Colum. l. l.* URB. Quid nihil mirum eſt? EURAS. Sordidiſſimum negotium ducere paucorum dierum tempns in villa morari - - quoniam & villici ſucceſſerunt in locum dominorum, qui quondam priſca conſuetudine non ſolum coluerant, ſed habitaverant rura. *Col. L. XII. præf.* Hæc igitur ratio colendi agros tenenda eſt, niſi in regionibus, quæ gravitate cœli, ſolique ſterilitate vaſtantur, aut in longinquis fundis, in quos non eſt facilis excurſus patrisfamilias. Tua autem cura plus tibi ſemper fructuum reddet, quam coloni, niſi ſi maxima vel negligentia ſervi vel rapacitas intervenit; quæ utraque peccata plerumque vitio domini vel committi, vel foveri nihil dubium eſt: cum liceat aut cavere, ne talis præficiatur negotio, aut jam præpoſitus, ut ſubmoveatur, curare. *Colum. L. I. c. 7.* URB. Etiam ſub villicis res Romanæ peſſum ibant. EURAS. Haud me latet; qnoniam corruptis Reip. moribus cuique e viliſſima hominum fœce hanc præfecturam committebant; locnples enim e turba pediſſequorum lecticariorumque defectiſſimum annis & viribus, mediarum vero facultatum dominus ex mercenariis aliquem, jam recuſantem quotidianum illud tributum & ignarum rei, cui præfuturus erat, villæ magiſtrum fieri jubebat. *Id. L. I. præf.* Igitur præmoneo, ne villicum ex eo genere ſervorum, qui corpore placuerunt, inſtituamus: ne ex

II. *Quem pro colono habere præſtat.*

III. *Qui ad villici munus non idonei.*

eo quidem ordine, qui urbanas ac delicatas artes exercuerit: ſocors & ſomniculoſum genus id mancipiorum, otiis, campo, circo, theatris, aleæ, popinæ, lupanaribus conſuetum nunquam non easdem ineptias ſomniat, quas cum in agriculturam transtulit, non tantum in ipſo ſervo, quantum in univerſa re detrimenti dominus capit. *Id. L. I. c.* 7. Apage cum his, quibus minori bonorum jactura victum amictumque liberaliter ſuppeditabis, ſi beneficentia tua digni videantur, ac ut mercenario officio ruſticationis provinciam committas; talis ſiquidem per familiam mavult, quam per ſe agrum colere. Saſerna dicebat, ab ejusmodi homine fere pro mercede litem reddi. *Id. l. l.*

De ætate, conditione & experientia villici.

IV. Urb. Ex quo igitur hominum genere villicum aſſumendum ſuades? Euras. Eligendus eſt ruſticis operibus ab infante duratus & inſpectus experimentis. Si tamen is non erit, de iis præficiatur, qui ſervitutem laborioſam toleraverunt. *Col. L. I. c.* 8. ſeu qui ruri aſperam ætatem egit: nec ſolum obſervandum, an perdidicerit diſciplinam ruris, ſed an etiam domino fidem ac benevolentiam exhibeat, ſine quibus nihil prodeſt villici ſumma ſcientia. *Colum. L. XI. c.* 1. Urb. Juvenem igitur, qui fere dociliores ac benevolentiores ſunt, præficiam. Euras. Ætatis nec primæ, nec ultimæ; nam ſervitia ſic tyrunculum contemnunt, ut ſenem: quoniam ille nondum novit opera ruris, hic exequi jam non poteſt: atque hunc adoleſcentia negligentem, ſenectus illum facit pigrum. Media igitur ætas eſt aptiſſima: poteritque ab anno trigeſimo usque in ſexageſimum, ſi non interveniant fortuita corporis vitia, ſatis validi fungi muneribus agricolæ. *Colum. l. l.* nam in rebus agreſtibus maxime officia juvenum congruunt, imperia ſeniorum. *Pallad. L. I. c.* 6. Sed tamen nec imperioſus ſenex officia præſtabit juvenis: nec imberbis adoleſcentulus conſilia ſenis. Sit idem ſcientiſſimus robuſtiſſimusque, ut edoceat ſubjectos & ipſe

ipſe

ipſe commode faciat, quæ præcipit; ſiquidem nihil recte ſine exemplo docetur, aut diſcitur, præſtatque villicum magiſtrum eſſe operariorum, non diſcipulum; cum etiam de patrefamilias priſci moris exemplum Cato dixerit: male agitur cum domino, quem villicus docet. *Colum. l. l.* Hic igitur tranſcenderit ætatem primæ juventæ, necdum ſenectutis attigerit: illa ne auctoritatem detrahat ad imperium, cum majores dedignentur parere adoleſcentulo: hæc ne laborioſiſſimo ſuccumbat operi. Mediæ igitur ſit ætatis, at firmi roboris, peritus rerum ruſticarum, aut certe maximæ curæ, quo celerius addiſcat. Nam non eſt noſtri negotii alterum imperare, & alterum docere; neque enim recte opus exigere valet, qui, quid, aut qualiter faciendum ſit, a ſubjecto diſcit. *Id. L. I. c.* 8. PHILOM. Hæc ex oraculo edita puta, nihil poteſt eſſe certius: neque enim aut tragici aut comici æque ſunt hanc rem meditati ac Columella, qui omnem vitam ruri egit. EURAS. Nec minus Varro *L. I. c.* 17. fere id ipſum pro villici inſtitutione ſcripſit: illi, qui præeſſe conſtituuntur, aliqua ſint humanitate imbuti, frugi, ætate majore, quam operarios - - facilius enim his, quam minoribus natu ſunt dicto audientes. Præterea potiſſimum eos præeſſe oportet, qui periti ſunt rerum ruſticarum: non ſolum enim debere imperare, ſed etiam facere, ut facientem imitentur, & ut animadvertant, eum cum cauſa ſibi præeſſe, quod ſcientia præſtet & uſu. Neque illi concedendum ita imperare, ut verberibus coerceat. URB. Mercari igitur talem villicum oportet, cum ipſus inſtituere minime valeam. EURAS. Certe vir ille egregius Iſchomachus Athenienſis rogatus a Socrate, an mercari villicum, an a ſe inſtituere conſueverit? ego vero, reſpondebat, ipſe inſtituo; etenim qui me abſente in meum locum ſubſtituitur & vicarius meæ diſciplinæ ſuccedit, is ea, quæ ego, ſcire debet. Sed hæc quia priſca, & il-

V. *De inſtitutione villici.*

& illius temporis ſunt, quo nemo agricolari neſciebat, noſtris quidem moribus non conveniunt. *Colum. L. XI. c.* I. Urb. Adeoque noſtro ævo nemo villici officiis noſtra inſtitutione inſtrui poterit. Euras. Tua quidem perparum: igitur nos ignorantiæ noſtræ memores vigentis ſenſus adoleſcentulos corporisque robuſti peritiſſimis agricolis commendemus; quorum monitionibus vel unus ex multis non ſolum ruſticationis, ſed imperandi conſequatur ſcientiam; quidam enim quamvis operum probatiſſimi artifices, imperitandi parum prudentes, aut ſævius, aut etiam lenius agendo rem dominorum corrumpunt - - Libenter igitur eadem loquor: tam docendus eſt futurus villicus, quam futurus figulus, aut faber. Et haud facile dixerim, num illa tanto expeditiora ſint diſcentibus artificia, quanto minus ampla ſunt. Ruſticationis autem magna & diffuſa materia eſt, partesque, ſi velimus ejus percenſere, vix numero comprehendamus. Quare ſatis admirari nequeo - - cæterarum artium, minus vitæ neceſſariarum, repertos antiſtites, agriculturæ neque diſcipulos, neque præceptores inventos: niſi magnitudo rei pepererit reverentiam vel diſcendi, vel profitendi pene immenſam ſcientiam, cum tamen non ideo turpi deſperatione oportuerit eam negligi - - magnæ rei quantulumcunque poſſederis fuiſſe participem non minima eſt gloria. *Id. l. l.* Urb. Quis ergo denique docebit futurum villicum, ſi nullus profeſſoris munus ſuſtineat? Euras. Et ego intelligo difficillimum eſſe ab uno velut auctore cuncta ruſticationis conſequi præcepta. Verumtamen ut univerſæ diſciplinæ vix aliquem conſultum, ſic plurimos partium ejus invenias magiſtros, per quos efficere queas perfectum villicum; nam & arator reperitur aliquis bonus & optimus foſſor, aut fœni ſector, nec minus arborator & vinitor: tum etiam veterinarius & probus paſtor, qui ſinguli rationem ſcientiæ ſuæ deſideranti

ſideranti non ſubtrahat. *Id. l. l.* Cæterum quod L. Voluſius de colono, idem de villico aſſevero, feliciſſimum fundum eſſe, qui indigenas haberet, & tanquam in paterna poſſeſſione natos, jam inde a cunabulis longa familiaritate retineret. Ita certe mea fert opinio, rem malam eſſe frequentem locationem fundi: pejorem tamen urbanum colonum. *Id. L. I. c. 7.* Urb. Pertexe modo, quod exorſus es; nam inſtruendum villicum eſſe nullus dubito, non utique ab oratore & philoſopho, ſed ruſticarum rerum perito: quænam autem illæ agreſtes artes & ſcientiæ ſint, nondum edidiſti. Euras. Multa poſtulas, & quæ nec a philoſopho aliena ſunt: ſive enim cum Columella *L. I. præf.* magnitudinem totius rei, quaſi quamdam vaſtitatem corporis, ſive partium ejus velut ſingulorum membrorum numero recenſeam, vereor, ne ſupremus ante me dies occupet. Urb. Inſolentius tu ruſticationem, quam Chaldæi ſuam artem, prædicas. Euras. Oppido: nam qui ſe in hac ſcientia perfectum velet profiteri, ſit, oportet, rerum naturæ ſagaciſſimus. *Colum. l. l.* Urb. Philoſophum igitur eſſe jubes. Euras. Vellem utique: quibus enim cum fœcundiſſima illa rerum omnium parente natura major eſt negotiatio atque communio quam agricolis? ito, redito per omnes ejus divitias ruſticatio ſummam ſemper communicationem habebit. Sit igitur declinationum mundi non ignarus, ut exploratum habeat, quid cuique plagæ conveniat, quid repugnet. *Colum. l. l.* Philom. Id ipſum requirit Virgilius *L. I. Georg.*

VI. *Soli naturam noſcat.*

At prius ignotum ferro quam ſcindimus æquor,
Ventos & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultusque habitusque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,
Arborei fœtus alibi, atque injuſſa vireſcunt
Gramina.

 Euras.

Euras. Jam ipſa terræ varietas & cujusque ſoli habitus, quid nobis neget, quid promittat, paucorum eſt diſcernere - - - atque in his habere cognitum, quid recuſet collis, quid campeſtris poſitio, quid cultus, quid ſilveſter ager, quid humidus & graminoſus, quid ſiccus & ſpurcus, ratione quoque diſpicere.
VII. *An aſtrologiam?* *Colum. l. l.* Urb. Nihil ultra? Euras. Siderum ortus & occaſus memoria repetat, ne imbribus ventisque imminentibus opera inchoet laboremque fruſtretur. *Id. l. l.* Urb. Ad aſtrorum cognitionem quoque agreſtes homines ducis? Philom. Ita Heſiodo ac antiquis plerisque cum Virgilio *l. l.* viſum:

Præterea tam ſunt Arcturi ſidera nobis
Hœdorumque dies ſervandi & lucidus Anguis,
Quam quibus in patriam ventoſa per aera vectis
Pontus & oſtriferi fauces tentantur Abydi.

Exiſtimabant ſiquidem non ſolum imbres, grandines & tempeſtates a ſideribus concitari, verum & quarumdam ſtellarum ortum, coitum & occaſum his frugibus amicum eſſe, illis inimicum, ita ut omnium in agricultura eventuum a cœlo peterent legem: quidam vero a contrario, omiſſa cœlorum cura ceu inutili, temporibus anni ſuos labores definiebant, ita ut his nulla cœleſtis virtutis cura fuerit, illis nimia; & ideo cæca ſubtilitas, cum res inter ruſticos geratur, litterarumque expertes, non modo ſiderum: ſpes ardua & immenſa, miſceri poſſe cœleſtem divinitatem imperitiæ. *Plin. L. XVIII. S.*56. Euras. Nec Columella, quamvis veteris diſciplinæ ſectator, in aſtrorum obſervatione adeo religioſus eſt, ut ipſe potius adverſus ejusmodi aſtrologos multis argumentationibus in ſingularibus libris, quos merito interiiſſe dolemus, improbiſſime pollicentes, ſtatis diebus velut certis terminis aeris mutationes reſpondere, differuerit; contra quos proin contendit in hac ruris diſciplina non deſiderari ejusmodi ſcrupuloſitatem, ſed ſufficere futura

futuræ tempeſtatis præſagium, ſi perſuaſum habuerit, modo ante, modo poſt, interdum etiam ſtato die orientis vel occidentis competere vim ſideris; nam ſatis providus erit, cui licebit ante multos dies cavere ſuſpecta tempora. *Col. L. XI. c. 1.* Quamvis enim haud eam inficias, quamdam vim atque virtutem aſtris in fructus terræ eſſe, minime tamen vellem ruſticationis opera ad eorum exortus tanta religione moderari. Illud certe ad ſcientiam villici Columellæ facit monitum, ut cœli & anni præſentis mores intueatur; neque enim ſemper eundem velut ex præſcripto habitum gerunt: nec omnibus annis eodem vultu venit æſtas, aut hiems: nec pluvium ſemper eſt ver, aut humidus autumnus. Quæ prænoſcere ſine lumine animi & ſine exquiſitiſſimis diſciplinis non quemquam poſſe crediderim - - contemplatio vero cunctarum in ea diſciplina partium quando cuique contingit, ut & ſegetum arationumque perciperet uſum & varias difficillimasque terrarum ſpecies pernoſceret? *Colum. L. I. præf.* Quot enim non genera frumenti, quorum quodlibet fere aliam & naturam habet, & exigit culturam? quot quam diverſa genera leguminum? quanta diverſitas arborum? quæ varietas in hortenſium frugum cultu? quæ in horum omnium ſemine, ſatione, collectione & conſervatione? dein in pecoribus parandis conſervandisque? quippe aliud exigit equinum, aliud atque aliud bubulum armentum: aliud pecus ovillum: aliud caprinum, & ipſum aliter curatur mutilum & raripilum, aliter cornutum & ſetoſum. Et ut a pecoribus recedam, quorum in parte avium cohortalium & apium cura poſita eſt, quis tanti ſtudii fuit, ut ſuper iſta, quæ enumeravimus, tot noſſet ſpecies inſitionum, tot putationum, tot pomorum olerumque cultus exercere? illud procul vero eſt, quod plerique crediderunt, facillimam eſſe, nec ullius acuminis ruſticationem. *Id. l. l.* Denique velut nume-

VIII. *De aliarum rerum notitia.*

numero in mente habeat, non ſolum quid quoque menſe perficiendum, ſed etiam quo die, qua ratione, quo ordine, ſimul opera ſingula ita temporibus accommodando, prout permiſerit cœli ſtatus. Præterlabentis vero temporis fuga quam ſit irreparabilis, quis dubitet? ejus igitur memor præcipue ſemper caveat, ne improvidus ab opere vincatur. *Id. L. XI. c. 1.*

Urb. Si tam vaſta tam ampla eſt harum rerum ſcientia, non poteſt niſi ingenioſiſſimis & optimis diſciplinis inſtructus admoveri villici officio. Euras. Poteſt etiam illiteratus, dummodo tenaciſſimæ ſit memoriæ, rem ſatis commode adminiſtrare. Ejusmodi villicum Corn. Celſus ait, ſæpius numos domino, quam librum afferre, quia neſcius litterarum vel ipſe minus poſſit rationes confingere, vel per alium propter conſcientiam timeat. *Colum. L. I. c. 8.*

IX. *De religione & diſciplina*

Religio, quæ eſt baſis & fundamentum omnis ſocietatis, ut ſublato hoc vinculo vita hominum ſtultitia, ſcelere & immanitate compleretur, ita in villico reluceat, ut in totam quoque ſibi ſubditam familiam redundet; hæc enim eo lubentius humanum jugum feret, ſi divinum illud miti cervice ſuſceperit, quia pietas & numinis metus quaſi frœnum eſt & coercitio in animis; unde Cyrus apud Xenophontem *Pæd. L. VIII.* dicebat: ſi omnes familiares Dei metuentes eſſent, minus eos aut inter ſe aliquid illicitum patraturos, aut in ipſum. Alia villici officia Cato *c. 5.* refert: diſciplina bona utatur, inquit: quia non natura tantum, ut Columella *L. VII. c 12.* de canibus ſcribit, ſed etiam diſciplina mores facit. Hæc enim cuſtos quædam infirmitatis, quam inter validiores optime timor continet. *Liv. L. XXXIV. c. 4.* Sed multo plus præſtabit exemplum, quo ipſe præeat; nam ut ait Cato *l. l.* villicus ſi nolet male facere, non faciet (familia).

X. *Quæ feriis agenda.*

Feriæ ſerventur. *Cat. l. l.* Sunt enim hæc pars quædam religionis, quibus ſervili opere ac labore

labore abſtinentes cultui divini Numinis vacamus, niſi magna, nec aliter farcienda, immineat rei familiaris jactura, tum enim illud Palladii *L. I. c.* 6. locum habere dicitur: neceſſitas feriis caret. Philom. Vigebat enim etiam apud Romanos ferias ſervandi mos: quædam tamen iisdem facere licebat, quæ enumerat Virgilius *L. I. Georg.*

> Quippe etiam feſtis quædam exercere diebus
> Fas & jura ſinunt: rivos deducere nulla
> Religio vetuit, ſegeti prætendere ſepem:
> Inſidias avibus moliri: incendere vepres:
> Balantumque gregem fluvio merſare ſalubri.
> Sæpe oleo tardi coſtas agitator aſelli
> Vilibus aut onerat pomis.

Euras. Hæc inter opera ab induſtrio villico etiam feriis ſuſcipienda a Columella *L. XI. c.* 1. affertur: inſtrumenta ruſtica cognoſcere & inſpicere ferramenta, eaque ſemper duplicia comparare ac refecta cuſtodire, ne ſi quod in opere vitiatum fuerit, a vicino petendum ſit; quia plus in operis ſervorum avocandis, quam in pretio rerum hujusmodi dependitur. Philom. A laboribus quidem lubenter abſtinent, ſed venter eorum nunquam reſidere deſiderat eſuriales ferias: ad menſam enim ſemper volant alacres, ad opera ruris vero tardiores, quam corbitæ in tranquillo mari. Euras. Fide officioque ſit ſingulari, nec de veſpere ſuo vivat; ſed cui omnia credi tuto poſſint. Atque adeo injuſſu domini credat nemini: quod dominus crediderit, exigat. Satui ſemen, cibaria, far, vinum, oleum mutuum dederit nemini: rationem cum domino crebro putet: neque quid emiſſe velit inſciente domino: neu quid dominum celaviſſe velit. *Cat. l. I.* Neve negotietur ſibi, pecuniamve domini aut animalibus aut rebus

XI. *De fidelitate.*

aliis promercalibus occupet: hæc enim negotiatio curam villici avocat: nec unquam patitur eum cum rationibus domini paria facere: ſed ubi negotiatio exigetur, rem pro numis oſtendit. *Colum. L. I. c.* 8. URB. Ego vero nec rem nec numos vidi. PHILOM. In tonſtrina nempe eras cum Plauti ſene:

- - - quid rides? mutato nomine de te
Fabula narratur. *Horat. L. I. Serm. S.* 1.

URB. Sentio ſonitum. EURAS. Itaque tam iſtud vitandum habebit, quam hercule fugiendum venandi aut aucupandi ſtudium, quibus rebus plurimæ operæ avocantur. *Colum. L. XI. c.* 1. Inter hæc fidelis diligentiæ opera Cato *l. l.* etiam illud reponit: operarium, mercenarium, politorem diutius eundem ne habeat die. Multo magis autem alieno manum abſtineat. Imo etiam, ſiquis quid deliquerit, pro noxa bono modo vindicet. *Cat. l. l.* ita tamen ſemperque foveat bonos & ſedulos: parcat etiam minus probis & ita temperet, ut magis ejus vereantur ſeveritatem, quam ut ſævitiam deteſtentur, poteritque id cuſtodire, ſi maluerit cavere, ne peccet operarius, quam cum peccaverit, ſero punire. *Colum. l. l.* Nec ſane eſt vindicandum nobis quidquid licet, nam ſummum jus antiqui ſummam putabant crucem. Nec rurſus in totum remittendum; quoniam vel optima nomina non appellando fieri mala fœnerator Alphius dixiſſe veriſſime fertur. *Id. L. I. c.* 7. Ex contraria vero parte pro beneficio gratiam referat, ut aliis recte facere libeat. *Cat. l. l.* Ideo Columella *L. XI. c.* 1. monuit, ut fortiſſimum quemque & frugaliſſimum largitionibus proſequatur. Et *L. I. c.* 8. requirit, ut non tantum operis agreſtis ſit artifex, ſed etiam animi virtutibus inſtructus, ut neque remiſſe, neque crudeliter imperet. Præterea villicus

XII. *De officiis in famulos.*

cus ne ſit ambulator, *Cat. l. l.* ut circulatorum graſſatorumve inſtar noctu obambulatum eat: nec de die quidem egrediatur terminos, niſi ut addiſcat aliquam culturam, & hoc, ſi ita in vicino eſt, ut cito remeare poſſit. *Colum. l. l.* & *L. XI. c.* I. non urbem, non ullas nundinas, niſi vendendæ aut emendæ rei neceſſariæ cauſa frequentaverit: neque enim coloniæ ſuæ terminos egredi debet, nec abſentia ſua familiæ ceſſandi, aut delinquendi ſpatium dare. URB. Urbe etiam velut aqua igneque interdictum arcere jubes? PHILOM. Dubitas? & cauſam etiam requiris? edam:

XIII. *Non ſit ambulator.*

Nihil eſt profecto ſtultius, nec ſtolidius,
Neque mendaciloquius, neque argutum magis,
Neque confidentiloquius, neque perjurius,
Quam urbani adſidui cives, quos ſcurras vocant.
Plaut. Trinum. I. 2.

URB. Meo me ludo luſiſti. PHILOM. Vah! non dictum velim. Perge pergere Euraſi. EURAS. Sobrius ſiat ſemper. *Cat. l. l.* nihil enim ſobrie diligenterve aget vinoſus ſervus. Recte igitur Columella *l. l.* præcipit: ſomni & vini ſit abſtinentiſſimus, quæ utraque ſunt inimiciſſima diligentiæ; nam & ebrioſo cura officii pariter cum memoria ſubtrahitur: & ſomnicoloſo plurima effugiunt; quid enim poteſt aut ipſe agere, aut cuiquam dormiens imperare. URB. Qui ad vina, etiam ad cætera bona perdenda natus. EURAS. Tum etiam ſit a venereis amoribus averſus; quibus ſi ſe dederit, non aliud quidquam poſſit cogitare, quam illud, quod diligit; nam vitiis hujusmodi pellectus animus nec præmium jucundius quam fructum libidinis, nec ſupplicium gravius, quam fruſtrationem cupiditatis exiſtimat. *Colum. l. l.* PHILOM. Qui amant, male macerantur: dolent ab animo: dolent ab oculis: dolent ab ægritudine, habentque ſtultitiam haud facile

XIV. *De ſobrietate & continentia.*

cile ſepelibilem: amor enim, qui & melle & felle eſt fœcundiſſimus, pectus obſcurat, & mores hominum moros & moroſos efficit. *Plaut. in Ciſtel. I.* 1. *Trinum. III.* 2. Euras.

XV. *De cura pro ſanis & ægrotis.*

Curet, familiæ male ne ſit, ne algeat, ne eſuriat. *Cat. c.* 5. Igitur ſi a domino aut villico ſubminiſtrantur veſtimenta, hic cultam veſtitumque familiam magis utiliter, quam delicate habeat, munitam diligenter a vento, frigore, pluviaque - - id ſi fiat, nullus dies tam intolerabilis eſt, quo non ſub divo moliri aliquid poſſit. *Colum. L. I. c.* 8. Philom. Et ſane ſi villicus nolit, certo uxorem ejus oportet eſſe veſtiſpicam, ut Plautus *in Trinum. II.* 1. vocat, quod frequenti diligentia veſtes inſpiciat, quoniam ab earum cura & ratio ſanitatis pendet & honeſtatis. Euras. Agat cujusque maxime curam, ſive quis, quod plerumque accidit, ſauciatus in opere noxam ceperit, adhibeat fomenta: ſive alter languidior eſt, in valetudinarium confeſtim deducat & convenientem ei cæteram curationem adhiberi jubeat. *Colum. L. XI. c.* 1. Haud raro ſiquidem pietati ceſſere morbi, & nihil magis ægris prodeſt, quam ab eo curari, a quo volunt. *Senec. L. IV. controv.* 5. Et quid probroſius, ac ſi tibi, quod Hortenſio objectaretur, quod non minor ejus cura de ægrotis piſcibus, quam de minus valentibus ſervis fuerit, minusque laboraverit, ne ſervus æger, quam aquam frigidam biberent ſui piſces. *Varr. L. III. c.* 17. Noveris ſiquidem illud divini oraculi monitum: ſi tibi eſt ſervus fidelis, ſit tibi quaſi anima tua. *Sap.* Nihil enim, teſte Xenophonte, eſt, quod majorem gratiam conciliet, quam ſervos, ubi in morbos inciderint, curare, ut curentur. Eorum vero, qui recte valebunt, non minor habenda erit ratio, ut cibus & potio ſine fraude a cellariis præbeatur, conſueſcatque ruſticos circa larem domini focumque familiarem ſemper epulari, atque ipſe in conſpectu eorum ſimiliter epuletur,

letur, ſitque frugalitatis exemplum. *Colum. l. l.* Ipſe etiam panis potionisque bonitatem guſtu ſuo exploret. *Id. L. I. c.* 8. panis ſiquidem præcipuus & velut a natura nobis paratus cibus eſt, ut Seneca *Epiſt.* 25. innuit: panem & aquam natura deſiderat: nemo ad hæc pauper eſt. Nec cibum niſi in conſpectu familiæ capiat: neve alium, quam qui cæteris præbetur; ſic enim curabit, ut & panis diligenter confiat, & reliqua ſalubriter apparentur. *Colum. l. l.* Amicos domini eos ſibi habeat amicos - - paraſitum ne quem habeat, *Cat. l. l.* quare & hoſpitem quam rariſſime recipiat. *Colum. l. l.* PHILOM. Paraſiti enim menſas detergunt, & velut mures ſemper edunt alienum cibum, non duratura longius, ac dum olla fervet, amicitia

- - - hic nigræ ſuccus loliginis: hæc eſt
Ærugo mera. *Horat. L. I. ſerm. S.* 4.

EURAS. Illud vero etiam in perpetuum cuſtodiendum habebit, ut eos, qui foris ruſticari debebunt, cum jam e villa familiaque proceſſerint, requirat; ac ſi quis, ut evenit, curam contubernalis ejus intra tectum tergiverſans feſellerit, cauſam deſidiæ ſciſcitetur exploretque utrum adverſa valetudine inhibitus reſtiterit, an pigritia delituerit, & ſi compererit vel ſimulantem languorem, ſine cunctatione in valetudinarium deducat, præſtat enim opere fatigatum ſub cuſtodia requieſcere unum & alterum diem, quam preſſum nimio labore veram noxam recipere. *Colum. L. XII. c.* 3. Familiam exerceat. XVI. *Familiam exerceat.* *Cat. l. l.* Quibus verbis illam ſuſpicor exercitationem indicari, quam Columella *L. XI. c.* 1. his verbis explicat: nulla eſt autem, inquiens, vel nequiſſimi hominis amplior cuſtodia, quam quotidiana operis exactio; nam illud verum eſt M. Ca-

tonis oraculum: nihil agendo homines male agere diſcunt. Itaque curabit villicus, ut juſta reddantur; iſtaque non ægre conſequetur, ſi ſemper ſe repræſentaverit; ſic enim magiſtri ſingulorum officiorum diligenter exequentur ſua munia & familia poſt operis exercitationem fatigata, cibo quietique potius ac ſomno, quam maleficiis operam dabit. Philom. Hac ipſa de cauſa M. Seneca *L. II. controv.* 10. ſcripſit: non vides, ut immota fax torpeat, exagitata reddat ignes? mollit viros ocium, ferrum ſitu capitur & rubiginem ducit; deſidia dedocet. Naſo dixit:

Vidi ego jactatas mota face creſcere flammas:
Et rurſus nullo concutiente mori.

Euras. Conſideret, quæ dominus imperavit, fiant: ne plus cenſeat ſapere ſe, quam dominum. *Cat. l. l.* Philom.

Decet id pati animo æquo - - -
Indigna digna habenda ſunt, herus quæ facit.
Plaut. Captiv. II. 2.

Euras. Litibus familiæ ſuperſedeat, *Cat. l. l.* quibus nil deterius in familia. Propterea velut Varro *L. I. de vit. Pop. Rom.* dixit, diſtractione civium elangueſcit bonum proprium civitatis, atque ægrotare incipit, & conſeneſcere: ita neque domeſticas illas pugnas ſine clade rei familiaris domini pugnari poſſe edico. Opus ruſticum omne curet, uti ſciat facere & id faciat ſæpe, dum ne laſſus fiat: ſi fecerit, ſcibit in mente familiæ quid fiet, & illi animo æquiore facient. *Cat. l. l.* Philom. Quid jam ſperes de illo, qui mulo inſcitior, fungo putidior, ipſa ignavia ignavior? Euras. In univerſa porro villicatione, ſicut in cætera vita, pretioſiſſimum eſt intelligere quemque, neſcire ſe quod neſciat, ſemperque

XVII. *Opera ruſtica ipſe curet.*

perque cupere, quod ignoret, addiſcere; nam etſi multum prodeſt ſcientia: plus tamen obeſt imprudentia, vel negligentia, maxime in ruſticatione; cujus diſciplinæ caput ſemel eſt feciſſe, quidquid exegerit ratio culturæ; nam quamvis interdum emendatum ſit perperam factum imprudentia vel negligentia; res tamen ipſa jam domino decoxit, nec mox in tantum exuberat, ut & jacturam capitis amiſſi reſtituat & quœſtum reſarciat. *Colum. L. XI. c.* 1. Philom. Ad hæc talia igitur qui in re ruſtica non advertit animum

Certius accipiet damnum, propiusque medullis,
Quam qui non poterit vero diſtinguere falſum.
Horat. L. I. Epiſt. 10.

Euras. Primus cubitu ſurgat: poſtremus cubitum eat. Prius villam videat clauſa uti ſiet, & uti ſuo quisque loco cubet, & uti jumenta pabulum habeant. *Cat. l. l.* Philom. Oportet ergo illum & in occipitio habere oculos, ſemper curis ebrium eſſe, ſomniantemque vigilare, cujus ego noctes nebulæ cyatho non emam. Euras. Oportet, ſi officium velit curare ſuum, ut vigilet: pro temporibus anni feſtinanter producat, & ſtrenue ipſe præcedat. Plurimum enim refert colonos a primo mane opus aggredi, nec lentos per ocium pigre procedere. Siquidem Iſchomachus, malo, inquit, unius agilem atque induſtriam, quam decem hominum negligentem & tardam operam. Quippe plurimum affert mali, ſi operario tricandi poteſtas fiat; nam ut in itinere conficiendo ſæpe dimidio maturius pervenit is, qui naviter & ſine ullis conceſſationibus permeabit, quam is, qui cum ſit una profectus, umbras arborum fonticulorumque amœnitatem vel auræ refrigerationem captavit. Sic in agreſti negotio dici vix poteſt, quid navus operarius ignavo & ceſſatore præſtet.

XVIII. *Quæ mane agenda & veſperi.*

præſtet. *Colum. l. l.* Urb. Multum profecto etiam in cæteris artibus proficit conſtans & matura ſedulitas, ac maxime in eo, quem cæteris velut exemplo prælucere decet: nec tamen immodica velocitate & fervore, quem aſſequi nemo

XIX. *Alios inſtruat.*

poteſt, res magnæ geruntur. Euras. Hoc igitur cuſtodire oportet villicum, ne ſtatim a prima luce familia cunctanter & languide procedat, ſed velut in aliquod prælium cum vigore & alacritate animi procedentem eum tanquam ducem ſtrenue ſequatur, variisque exhortationibus in opere ipſo exhilaret laborantes: & interdum, tanquam deficienti ſuccurſurus, ferramentum auferat parumper, & ipſe fungatur ejus officio, moneatque ſic fieri debere, ut ab ipſo fortiter ſit effectum. *Id. l. l.* Urb. Utile profecto conſilium, nam & medici non omittunt aſperiora prius guſtare medicamina, &, poſtquam uſſerunt & ſecuerunt ſatis, mollia adhibere verba, ac fomenta. Euras. Quare nec diſplicebit tibi, quod ſe cuſtodiſſe præceptum Columellam *L. I. c.* 8. haud pœnituit, cum ruſticos famulos, qui modo non incommode ſe geſſiſſent, alloqueretur familiarius & cum comitate levari laborem intelligeret, non nunquam etiam jocaretur, & plus ipſis jocari permitteret. Jam illud ſæpius faciebat, ut quaſi cum peritioribus de aliquibus operibus novis deliberaret, & per hoc cognoſceret cujusque ingenium, quale quamque ſit prudens. Tum etiam libentius eos id opus aggredi vidit, de quo cum ipſis deliberatum, & conſilio eorum ſuſceptum putabant. Nec minus Varro *L. I. c.* 17. communicanda cum operariis, quæ facienda ſint opera, ſuadens ait, quod ita cum ſit, minus ſe putant deſpici, atque aliquo numero haberi a domino. Cæterum villicus ubi crepuſculum inceſſerit, ut & de ejusdem veſpertinis curis aliquid dicam, neminem poſt ſe relin-

relinquat, ſed omnes ſubſequatur more optimi paſtoris, qui e grege nullam pecudem patitur in agro relinqui. Tum vero cum tectum ſubierit, idem faciat, quod opilio: nec in domicilio ſuo ſtatim deliteſcat, ſed agat cujusquam maximam curam. *Colum. L. XI. c.* 1. Ne conſervo miniſtro quoquam, niſi in re domini utatur. *Id. L. I. c.* 8. Ne extra fines, niſi a ſe miſſum, progredi ſinat: ſed nec ipſe mittat, niſi magna neceſſitate cogente. Dein ferramenta bis debebit ſingulis menſibus recenſere, nam frequens recognitio nec impunitatis ſpem, nec peccandi locum præbet. *Id. L. XI. c.* 1. In eo autem poſitum plurimum momenti eſt, ut aptiſſimum quemque ſuis muniis præficiat: velut in urbe enim hic bonus unctor, auri cuſtos, ſed parum idonens nuncius, aut renuncius: aut hæc egregia veſtiſpica, flabellifera, ſcandaligerula, inconcinna vero cantrix, aut ciſtellatrix: ita multo magis ruri iſte quidem optime ad pecoris cuſtodiam, peſſime vero ad aratrum deligeretur. Igitur potiſſimum eſt in eo ſcire & æſtimare, quale officium & qualis labor ſit cuique injungendus; nam nec valentiſſimus poſſet exequi, quod imperatur, ſi neſciat, quid agat: nec peritiſſimus, ſi ſit invalidus. Qualitas ita cujusque rei conſideranda eſt: quippe aliqua ſunt opera tantummodo virium, tanquam promovendi onera portandique: aliqua ſociata viribus & arti, ut fodiendi arandique, ſegetes & prata deſecandi: non nullis minus virium, plus artis adhibetur, ſicut putationibus inſitionibusque vineti: plurimum etiam ſcientia pollet in aliquibus, ut in paſtione pecoris, atque ejusdem medicina. Quorum omnium officiorum villicus - - æſtimator bonus eſſe non poteſt, niſi fuerit etiam peritus, ut in unoquoque corrigere queat perperam factum: neque enim ſatis eſt reprehendiſſe peccantem, ſi non doceat

XX. *Selectum in miniſtris faciat.*

doceat recti viam. *Colum. l. l.* PHILOM. In delectu igitur miniſtrorum non ætatis, ſed virium, & peritiæ artis habenda eſt ratio; nam

Non ætate, verum ingenio adipiſcitur ſapientia.
Plaut. in Trinum. II. 2.

XXI. *De aliis officiis ſtrictim.* EURAS. Sit non tantum rerum, ſed & jurium domini bonus cuſtos, ne aut antiqua infringantur, aut nova onera inducantur: exempli cauſa, ſemitas novosque limites in agro fieri ne patiatur. *Colum. L. I. c. 8.* In familia ruſtica acceptorum expenſorumque rationes adminiſtret: cibaria promat, nomina moresque ſuorum teneat. Illum autem ſcias nequam agricolam eſſe, quisquis emeret, quod præſtare ei fundus poſſet: malum patremfamilias, quisquis interdiu faceret, quod noctu poſſet, niſi in tempeſtate cœli: pejorem, qui profeſtis diebus ageret, quod feriatis deberet: peſſimum qui ſereno die ſub tecto potius operaretur, quam in agro. *Plin. L. XVIII. S. 8.* Supereſſet adhuc unum ad religionem moresque villici faciens: ſed cum copioſior de eo dicendi materia, illud disquiſitis prius cæterorum villæ miniſtrorum officiis paulo largius pertractabimus.

DIALO-

DIALOGUS XXIV.

DE RELIQUIS VILLÆ MINISTRIS.

ARGUMENTUM.

I. *Villica curet domeſtica negotia,*
II. *Poſtquam matresfamilias ea defugiunt,*
III. *De villicæ ætate, & forma.*
IV. *Mulieres exteras non frequentet.*
V. *Sobria ſit.*
VI. *Domi ſe continens curet negotia.*
VII. *Domeſtica,*
VIII. *Supellectilem & apothecam.*
IX. *De aliis ejus officiis ſtrictim.*
X. *Ratio famulorum hodie alia, quam apud Romanos.*
XI. *An præſtet ſingulis operibus præficere ſingulos miniſtros.*
XII. *De corporis & animi habitu quorumdam.*
XIII. *Cur tam magnus aſſumatur pecoris numerus.*
XIV. *In re cibaria & veſtiaria parum hodie ſervire veterum præcepta.*

Urban. Priusquam ad alia tranſeamus, perfice, quem promiſiſti, de cæteris famulis ſermonem. Euras. Igitur qualicunque villico contubernalis mulier (uxor) aſſignanda eſt, quæ contineat eum, & quibusdam rebus tamen adjuvet, *Colum. L. I. c.* 8. rem domeſticam ſcilicet curando; nam cum victus & cultus humanus, non ut feris in propatulo ac ſilveſtribus locis, ſed domi ſub tecto accurandus ſit, neceſſarium fuit, alterutrum foris & ſub dio eſſe, qui labore & induſtria compararet, intus, qui tectis reconderet, atque cuſtodiret, jure a natura comparata eſt opera mulieris ad domeſticam diligentiam, viri autem ad exercitationem forenſem & extraneam. Itaque viro calores & frigora perpetienda, tum etiam itinera

I. *Villica curet domeſtica negotia.*

itinera & labores pacis ac belli, id eſt ruſticationis & militarium ſtipendiorum diſtribuit: mulieri deinceps, quod omnibus his rebus eam fecerat inhabilem, domeſtica negotia curanda tradidit. Et quoniam hunc ſexum cuſtodiæ & diligentiæ aſſignaverat, idcirco timidiorem reddidit, quam virilem, nam metus plurimum confert ad diligentiam cuſtodiendi. Quod autem neceſſe erat foris & in aperto victum quærentibus non nunquam injuriam propulſare, idcirco virum quam mulierem fecit audaciorem. Quia vero partis opibus æque fuit opus memoria & diligentia, non minorem fœminæ quam viro earum rerum tribuit poſſeſſionem. Tum etiam quod ſimplex natura non omnes res commodas amplecti volebat, idcirco alterum alterius indigere voluit, quoniam quod alteri deeſt, præſto plerumque eſt alteri. Atque in hæc verba Xenophon *in Oeconom. apud Columellam L. XII. præf.* differit, oſtendensque tum apud Græcos, tum apud Romanos domeſticum laborem matrifamilias proprium, &, cum pulcherrima diligentiæ æmulatione flagraret, negotia viri ſua cura reddere meliora, in commune conſpiratum ab utroque fuiſſe affirmat, ut cum forenſibus negotiis matronalis ſedulitas parem faceret induſtriæ rationem. Tum igitur nec villici quidem, nec villicæ magna erat opera, cum ipſimet domini quotidie negotia ſua reviſerent, atque adminiſtrarent. URB. Nunc vero quis? quid aqua tibi hæret? EURAS. Nunc vero cum pleraque ſic luxu & inertia diffluant, ut ne lanificii quidem curam ſuſcipere dignentur, ſed domi confectas veſtes faſtidio habeant, perverſaque cupidine pretioſiores alias a viris pelliciant, quæ grandi pecunia & totis pene cenſibus redimuntur, nihil mirum eſt, easdem ruris & inſtrumentorum agreſtium cura gravari - - Quam ob cauſam cum in totum non ſolum exoleverit, ſed etiam occiderit vetus ille matrum familia-

II. *Poſtquam matresfamilias ea defugiunt*

miliarum mos Sabinarum atque Romanarum, neceſſaria irrepſit villicæ cura, quæ tueretur officia matronæ. *Colum. l. l.*
Urb. Cur iſta mihi? Philom.

Ne tamen ignores, quo ſit Romana (Germana) loco res.
Horat. L. I. Ep. 12.

Urb. Officia volebam futuræ villicæ & mores, non morſus in uxorem. Euras. Liberabo fidem. Villica igitur juvenis eſſe debet, id eſt, non nimium puella propter easdem cauſas, quas de ætate villici retulimus: integræ quoque valetudinis, nec fœdi habitus, nec rurſus pulcherrimi; nam illibatum robur & vigiliis & aliis ſufficiet laboribus. Fœditas faſtidioſum, nimia ſpecies deſidioſum faciet ejus contubernalem (maritum). Itaque curandum eſt, ut nec vagum villicum & averſum contubernio ſuo (matrimonio) habeamus: nec rurſus intra tecta deſidem. *Colum. L. XII. c.* 1. III. *De villicæ ætate, & forma.*

Philom. Talis mulier merx rariſſima: ſit enim nec mala, nec optima: nec juvencula, nec anus tremula: nec fœda, nec nitida. Malæ enim ſupellex eſt clamor ſine modo. *Plaut. in Pœnul. V.* 3. mores vero peſſimi elecebræ argentariæ & quæ ſanguinem ſorbent hominum. *Id. in Bacch. III.* 1.

Euras. Hinc Cato *c.* 143. monuit: facito, ne nimium luxurioſa ſiet. Vicinas aliasque mulieres quam minimum utatur: neve domum, neve ad ſe recipiat. *Cat. l. l.* A nullo enim genere, laudatus Cato in ſenatu dixiſſe fertur, non æque ſummum periculum eſſe, ſi cœtus & concilia, & ſecretas conſultationes eſſe ſinamus: majores noſtri, inquiebat, nullam, ne privatam quidem, rem agere fœminas ſine auctoritate voluerunt: in manu eſſe parentum, fratrum, virorum: nos jam etiam Rempublicam capeſſere eas patimur, & foro quoque & concionibus, & comitiis immiſceri. Date frœnos impotenti naturæ & indomito animali, & ſperate ipſas mo- IV. *Mulieres exteras non frequenter.*

dum licentiæ facturas, niſi hoc faciatis. Quid enim nunc aliud per vias & compita faciunt? - - - omnium rerum libertatem, imo licentiam deſiderant. Quid enim ſi hoc expugnaverint, non tentabunt? recenſete omnia muliebria jura, quibus licentiam earum alligaverint majores noſtri, per quæque ſubjecerint viris: quibus omnibus conſtrictas vix tamen continere poteſtis. *Liv. L. XXXIV. c.* 2. Præterea conſiderandum erit, an a vino, ab eſcis, a ſuperſtitionibus, a ſomno, a viris remotiſſima ſit, & ut cura eam ſubeat, quid meminiſſe, quid in poſterum proſpicere debeat, ut fere eum modum ſervet, quem villico præcepimus; quoniam pleraque ſimilia eſſe debent in viro, atque fœmina, & tam malum vitare, quam præmium recte factorum ſperare. *Colum. l. l.* Vides, quod pro matronali officio eandem, quam ſupra in villico, requirat ſcientiam, prudentiam, & morum probitatem.

V. *Sobria ſit.*

Philom. Nulla turpior turpitudo, quam mulier multibiba, aut merobiba; qualis illa fuit, quæ dixit:

Flos veteris vini meis naribus objectus eſt.
Ejus amos cupidam me huc per tenebras prolicit.
Ubi, ubi eſt, prope me'ſt. Evax! habeo. Salve! anime mi:
Liberi lepos! ut veteris vetuſti cupida ſum!
Nam omnium unguentorum odos præ tuo illo nautea eſt.
Tu mihi ſtacte: tu cinnamomum: tu roſa:
Tu crocinum es: tu caſia es: tu bdellium; nam ubi
Tu profuſus, ibi ego me ſepultam pervolim.

Plaut. in Curcul. I. 2.

Euras. Certe vini uſus olim Romanis fœminis ignotus fuit, ne ſcilicet in aliquod dedecus prolaberentur. *Val. Max. L. II. c.* 1. inſtitutumque, ut cognatis oſculum ferrent, reprehendendi cauſa, ut odor indicium faceret, ſi bibiſſent. Bibere autem

autem ſolitas ferunt loream, paſſum, murinam, & quæ id genus epotant, potu dulcia. *A. Gell. L. X. c.* 23. Affertque exempla Plinius *L. XIV. S.* 14. quod alia, quæ vinum bibiſſet, dote multata, alia inedia mori coacta, alia a marito interfecta fuerit. Ultra debebit villica elaborare, ut quam minimam operam villicus intra tectum impendat, qui multo labore levabitur, ſi uxor domi ſtrenue & naviter partes ſuas obeat, ut virili in muliebri officio haud opus ſit ſolicitudine & circumſpectione, cui & primo mane cum familia prodeundum eſt, & crepuſculo peractis operibus fatigato redeundum. Nec tamen inſtituendo villicam domeſticarum rerum villico remittimus curam, ſed tantummodo laborem ejus, adjutrice data levamus. Cæterum munia, quæ domi capeſſenda non in totum muliebri officio relinquenda ſunt, ſed ita deleganda ei, ut identidem oculis villici cuſtodiantur. Sic enim erit diligentior villica, ſi meminerit ibi eſſe, cui ratio frequenter reddenda ſit. *Colum. L. XII. c.* 1. Hinc Cato *c.* 143. ad cœnam ne quo eat, neve ambulatrix ſit. Urb. Teſtudinem oportet eſſe talem mulierem: ac multo magis virum, qui

VI. *Domi ſe continens curet negotia.*

Quaſi claudus ſutor domi ſedet totos dies.
Plaut. in Aulul. I. 1.

Euras. Villicam profecto talem eſſe oportet; propterea Phidias uxoribus domi manendum eſſe indicaturus Heleorum Venerem finxit calcantem teſtudinem. *Plutarch. in præcept. conjug.* Hæc igitur perſuaſiſſimum habere debebit aut in totum, aut certe plurimum domi ſe morari oportere: tum quibus aliquid in agro faciendum erit ſervis, eos foras emittere: quibus autem in villa aliquid agendum videbitur, eos intra parietes continere atque animadvertere, ne diuturna ceſſatione fruſtrentur opera. *Colum. l. l.* Urb. Bene Philomuſus do-

miportam dixit, ſi in agro colendo non habet, quod agat. EURAS. Vellut villicus appellatur a villa, quod in eam fructus convehat: ita villica, quoniam ejus officii eſt, diligenter inſpicere, quæ domui inferuntur, ne delibata & corrupta ſint, & ita explorata atque inviolata recipere: tum ſeparare, quæ conſumenda ſunt, & quæ ſuperfieri poſſunt, cuſtodire, ne ſumptus annuus menſtruus fiat. *Colum. l. l.* URB. Si tanta prudentia & rerum agendarum dexteritas in villico, haud opus, ut uxor eadem ſolertia polleat. PHILOM. Inſipide:

- - - ſapiens crepidas ſibi nunquam
Nec ſoleas fecit: ſutor tamen eſt ſapiens.

Horat. L. I. S. 3.

Præſtet vir omni rerum agendarum dexteritate: domi tamen ſemper inveniet negotia, quæ muliebrem requirant induſtriam. EURAS. Poſt hæc meminiſſe debebit, quæ inferantur, ut idoneis & ſalubribus locis recondità ſine noxa permaneant. Nihil enim magis curandum eſt, quam præparare, ubi quidque reponatur, ut cum opus ſit, promatur. *Colum. l. l. c. 2.* Nec

VII. *Domeſtica.* tamen velim eam ita domi defixam eſſe, ut eidem nefas ſit prodire in publicum, aut ab officio ejus alienum, fines oculis perluſtrare, & omnes partes agri reviſere, atque æſtimare, num quid abſentia ſua de diſciplina & cuſtodia remiſerit: num aliqua vitis, num arbor, num fruges abſint: tum etiam pecus & familiam recenſeat, fundique inſtrumentum, & ſupellectilem: quæ cuncta ſi per plures annos facere inſtituerit, bene moratam diſciplinam, cum ſenectus advenerit, obtinebit; nec erit ulla ejus ætas annis ita confecta, ut ſpernatur a ſervis. *Colum. L. I. c. 8.* Et velut villico prima ægrorum cura incumbit, ita villicæ cibum, aliaque ſubminiſtrare. Si quis ex familia cœperit adverſa valetudine affici, videndum erit, ut is quam commodiſſime miniſtretur; nam ex ejus-

ejuſmodi cura naſcitur benevolentia, nec minus obſequium: quin etiam fidelius, quam prius ſervire ſtudent, qui convaluerint, cum eſt ægris adhibita diligentia. *Colum. L. XII. c.* 1. Caveat autem villica præ cæteris, ut munda ſiet: villam converſam mundamque habeat. *Cat. c.* 143. velut enim fœmina munditiis apparandis apta, ita ejus ſorditudine nihil ſordidius; & raro invenies, quæ in omnibus munditer ſe habeat. PHILOM.

- - - nam ita'ſt ingenium muliebre:
Bene cum lauta'ſt, terſa, ornata, ficta'ſt, infecta'ſt tamen;
Nimioque ſibi mulier - - reperit odium ocius
Sua immunditia, quam in perpetuum, ut placeat munditia ſua.

Plaut. in Stich. V. 5.

EURAS. Totius igitur domus & ſupellectilis curam, diſtributionem, adminiſtrationemque ſuſcipiat. URB. Quis ille ſupellectilis apparatus? EURAS. Ut nil de inſtrumentis ruſticis repetam, quo non lanificia indigent? ipſe dein mundus muliebris ad dies feſtos & ornatus virilis in tanta familia multam requirit operam, lineæ laneæque veſtes & lectiſternia: Nec minorem textorum, netricum, fullonum, ſartorum, lanificum, ſutorum, lotricumque cura: poſt hæc vaſa & ornamenta culinæ, panis conficiendus cibusque quotidianus muliebre miniſterium exigunt, velut & pro penore aſſervando apotheca, carnaria, granaria, farinaria, lactaria & caſearia. Ex his non nulla ad quotidianum familiæ uſum promenda ſunt, quædam ad menſtruum & annuum condenda, ubi ſemper condum, quam promum eſſe præſtat. Atque hæc ſingula ſingulis locis non ſolum annumerata ſed & exſcripta habeat, ut ſciat, quid, quando & cui dederit, vel receperit, ac ſuo

VIII. *Supellectilem & apothecam.*

loco reponat. Nec tamen una ejus cura eſſe debebit, ut clauſa cuſtodiat, quæ tectis illata receperit, ſed ſubinde recognoſcat atque conſideret, ne aut ſupellex veſtisve condita ſitu dilabatur, aut fruges aliaque utenſilia negligentia deſidiave ſua corrumpantur. Pluviis vero diebus, vel cum frigoribus aut pruinis mulier ſub dio ruſticum opus obire non poterit, ut ad lanificium reducatur, præparatæ ſint & pectitæ lanæ, quo facilius juſta lanificio perſequi atque exigere poſſit. Nihil enim nocebit, ſi ſibi atque & aliis in honore ſervilis veſtis domi confecta fuerit, quo minus patrisfamilias rationes onerentur. *Colum. L. XII. c.* 3. Urb. Iterum ſedentem columbam jubes eſſe villicam. Euras. Uno loco quam minime oportebit eam conſiſtere: neque enim ſedentaria ejus opera eſt: ſed modo ad telam debebit accedere, ac, ſi quid melius ſciat, docere: ſi minus, addiſcere ab eo, qui plus intelligat, modo eos, qui cibum familiæ conficiunt, inviſere. *Id. l. l.* Nam juxta Catonis monitum *c.* 143. cibum villico & familiæ curet uti coctum habeat: gallinas multas & ova uti habeat. Pira arida, mala ſtruthea - - farinam bonam & far ſubtile ſciat facere. Valetudinaria quoque vel ſi vacent ab imbecillis identidem aperire & immunditiis liberare, ut cum res exegerit, bene ordinata & ornata & ſalubria languentibus præbeantur: promis quoque & cellariis aliquid appendentibus aut metientibus intervenire: nec minus intereſſe paſtoribus in ſtabulis fructum cogentibus, aut fœtus ovium aliarumve pecudum ſubrumantibus: tonſuris vellerum quoque intereſſe & lanas etiam diligenter percipere, & vellera ad numerum pecoris recenſere: tum inſiſtere atrienſibus, ut ſupellectilem exponant & ferramenta deterſa nitidentur, atque rubigine liberentur, cæteraque, ſi refectionem deſiderant, fabris concinnanda tradantur. Poſtremo his rebus omni-

IX. *De aliis ejus officiis ſtrictim.*

omnibus conſtitutis nihil hanc arbitror diſtributionem profuturam, niſi - - villicus ſæpius & aliquando tamen dominus aut matrona conſideraverit, animadverteritque, ut ordinatio inſtituta conſervetur. *Colum. l. l.* Atque hæc a villica domi forisque adminiſtranda generatim dicta ſint: ſi enim ſingula recenſere velim, omnes fere noſtri ſermones ad villici villicæque officium redigerentur. Cæterum ſi animum bene advertiſti, Urbane, non eris neſcius, me duriora quædam loca attuliſſe, quæ moribus noſtris, poſtquam exolevit miſera ſervorum conditio, ex quibus turba miniſtrorum villæ aſſumebatur, non bene conveniunt, quæ proin tua mitigabit ac noſtris temporibus accommodabit prudentia. Hoc ſi bene imbibiſti, haud miraberis, ſterilem prope eſſe ex antiquorum præceptis de reliquo famulorum grege eorumque cibo & mercede materiam; omnes enim fere aut eandem ſervitutem ſerviebant, aut, ſi operarii eſſent, diverſam noſtris moribus mercedem, aut certam fructuum partem capiebant pro ratione operæ, & artis: aut etiam ſoli natura, ac conditione. Sic ſi politor in agro Caſinate demeſſuiſſet tantum fruges, accipiebat partem octavam: at ſi etiam impendiſſet trituræ & ventilationis laborem, & purgatum frumentum modio divideretur, ferebat partem quintam. *Cat. c.* 136.

X. *Ratio famulorum hodie alia, quam apud Romanos.*

XI. *An præſtet ſingulis operibus præficere ſingulos miniſtros.*

Præterea ſicut in urbana, ita in ruſtica familia ſingulis fere officiis ſinguli præficiebantur ſervi propriis ſuis nominibus ab officio gaudentes, unde olim alius vocabatur ſator, alius occator, alius ſarritor, alius raſtrarius, alius runcator, alius meſſor, triturator, ventilator, fœniſex, armentarius, jumentarius, equiſo, aſinarius, mulio, bubulcus, ſubulcus, opilio, caprarius, porculator, aviarius, fartor, gallinarius, dellacus, & qui ſunt plures, fere ſemper alius: quæ pleraque opera hodie fere ab iisdem, ſervato ſolum quodam gradus & mercedis ordine, per-

pertractanda ſunt. Adverſatur quidem huic inſtituto Columella *L. l. c.* 9. ſcribens: ſed & illud cenſeo, ne confundantur opera familiæ, ſic ut omnes omnia exequantur; nam id minime conducit agricolæ: ſeu quia nemo ſuum proprium aliquod eſſe opus credit: ſeu quia cum enixus eſt, non ſuo ſed communi officio proficit, ideoque labori multum ſe ſubtrahit: nec tamen viritim malefactum deprehenditur, quod fit a multis. *Colum. l. l.* Sed hujus mali periculum, ſublatis latifundiis & ſervorum conditione, poſtquam liberorum hominum in opere ruſtico bene expertorum ſelectus haberi poteſt, non ſine magno compendio jam prævenit noſtra induſtria, ut adeo nec ratio, nec operæ pretium exigat ſingulos ſingulis præficere officiis. Nec etiam accurate poteſt cum Catone, Varrone & Columella pro modo fundi, aut modiis ſementis certus definiri operariorum numerus; nam ut bene advertit Palladius *L. I. T.* 6. operarum ratio unum modum tenere non poteſt in tanta diverſitate terrarum: & ideo ſoli & provinciæ conſuetudo facile oſtendit, qui numerus unamquamque rem faciat. Illud vero certiſſimum eſt Columellæ præceptum, magiſtros operibus oportere præponere ſedulos ac frugaliſſimos; eamque rem utramque plus quam corporis ſtaturam roburque conferre huic negotio: quoniam id miniſterium cuſtodiæ diligentis & artis officium eſt. *Colum. l. l.*

XII. *De corporis & animi habitu quorumdam.*

Putat tamen in quibusdam operibus ſingularem corporis & animi habitum contribuendum eſſe: ac in aratore proceritatem, in vineatore latitudinem, in paſtore ſedulitatem requiri. Bubulco, inquit, quamvis neceſſaria, non tamen ſatis eſt indoles mentis, niſi eum vaſtitas vocis & habitus metuendum pecudibus efficit. Sed temperet vires clementia, quoniam terribilior debet eſſe, quam ſævior, ut & obſequantur ejus imperiis, & diutius perennent boves non confecti vexatione ſimul

nam longiſſimum quemque aratorem faciemus, - - - quod in re ruſtica nullo minus opere fatigatur prolixior, quia in arando ſtivæ pene rectus innititur. Mediaſtinus qualiscunque ſtatus poteſt eſſe, dummodo perpetiendo labori ſit idoneus. Vineæ non ſic altos quemadmodum latos & lacertoſos viros exigunt; nam his habitus foſſuris & putationibus cæterisque earum culturis magis aptus. De paſtoribus ſingularia quædam monita Varro *L. II. c.* 10. conſcripſit: ad majores enim pecudes ætate ſuperiores, ad minores vero etiam pueros admittit, aitque firmiores eſſe, qui in collibus verſantur, iis, qui in fundo quotidie ad villam redeunt. Itaque in ſaltibus licet videre juventutem & eam fere armatam, inquit, cum in fundis non modo pueri, ſed etiam puellæ paſcant. Qui paſcunt, eos cogere oportet, in paſtione diem totum eſſe, paſcere communiter: contra pernoctare ad ſuum quemque gregem. Eſſe omnes ſub uno magiſtro pecoris: eum eſſe majorem natu potius, quam alios & peritiorem, quam reliquos, quod iis, qui ætate & ſcientia præſtant, animo æquiore reliqui parent. Ita tamen oportet ætate præſtare, ut ne propter ſenectutem minus ſuſtinere poſſit labores. Neque enim ſenes, neque pueri collium difficultatem, ac montium arduitatem atque aſperitatem facile ferunt: quod patiendum illis, qui greges ſequuntur, præſertim armenticios ac caprinos, quibus rupes ac ſilvæ ad pabulandum cordi. Formæ hominum legendæ, ut ſint firmæ ac veloces, mobiles, expeditis membris: qui non ſolum pecus ſequi poſſint, ſed etiam a beſtiis ac prædonibus defendere: qui onera extollere in jumenta poſſint, qui excurrere, qui jaculari. Non omnis apta natio ad pecuariam. *Varr. l. l.* Quod veriſſimum eſſe

Digitized by Google

arbitror, etiam in hac noſtra provincia, cum pro ſoli conditione diverſoque pecoris cultu hi aptius in alpibus paſcere, hi in planitie & regione campeſtri: illi naviter domi parare pabulum: iſti melius ſaginare norint. Urb. Ægre inducor, ut credam, eum proventum ex pecoribus reddi, qui ſumptibus in pecudem ejusque pabulum & paſtores impendendis reſpondeat. Euras. Neque id ut credas, te inducere eſt animus; non enim major pecoris numerus aſſumitur, quod lactis & ſaginæ par ſit impenſis proventus: ſed quod in montanis & frigidis locis agri multo lætamine indigeant, & in ſummis alpibus nullus alius niſi ex pecore fructus. Urb. Verane iſta? Philom. Veriſſima; nam ut quidam, neſcio jam quis, Poetarum canit:

XIII. *Cur tam magnus aſſumatur pecoris numerus.*

> Servit agro pecus, & pecori dat molle viciſſim
> Gramen ager: neque rura vigent armentaque, denſi
> Sive greges campis, gregibus ſeu paſcua deſint.

Urb. Et ſemper, & ubique neceſſarius eſt hujus lætaminis uſus? Philom. Si lætas ſegetes habere velis,

> Continuo has leges æternaque fœdera certis
> Impoſuit natura locis, quo tempore primum
> Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem.
> *Virg. L. I. Georg.*

Euras. Præterea magiſtrum providere oportet, ut omnia ſequantur inſtrumenta, quæ pecori & paſtoribus opus ſunt, maxime ad victum hominum, & ad medicinam pecudum - - quæ ad valetudinem pertinent hominum ac pecoris, ut ſine medico curari poſſint, magiſtrum ſcriptum habere oportet; is enim ſine litteris idoneus non eſt, quod rationes dominicas pecuarias conficere nequidquam recte poteteſt. *Varr. l. l.*

De

De cibariis ſi quid ex veterum monumentis afferam, vereor, non ſolum jejunum & inſipidum, verum & uſui parum utilem ſermonem fore; cum ſervilis illa antiquorum menſa parum jucunde ſaperet famulis noſtris ruſticis, nec magis quam Xenocratis caſeolus, quem tradunt ſordibus pellectum non niſi cibos jam corruptos abſumpſiſſe: tum etiam quod vocabula eorum noſtris ferculis non conveniant. Quem enim cibum panem, pultem, globosque appellamus, non es neſcius, remque tenere te arbitraris: ſed minime illam, quam veteres his vocabulis tribuebant. Sic enim panis ruſticus dicebatur (ut nil dicam de atro, ſordido, aut canino ſervorum pane) cujus ſuperiori cruſtæ candidi papaveris ſemen affuſo ovo inhærens inſpargebatur: inferior vero mellis githque cereali ſapore condiebatur. *Plin. L. XIX. S.* 53. coquebatur autem vaſe teſtaceo. Pultem Punicam ſic coquendam docet Cato *c.* 85. libram alicæ in aquam indito: facito, ut bene madeat: id infundito in alveum purum; eo caſei recentis P. III. mellis P. S. ovum unum. Omnia una permiſceto bene: ita inſipito in aulam novam. Idem Cato *c.* 79. artem coquendi globos, certe non ad Apicii leges, hac ratione tradit: globos ſic facito: caſeum cum alica ad eundem modum miſceto: inde quantos voles facere, facito: in ahenum caldum ungue indito: ſingulos autem binos coquito, verſatoque crebro duabus rudibus: coctos eximito: eos melle unguito: papaver infriato: ita ponito. An pruriunt tibi dentes ad has Catonis lautitias? Prætereo autem ejusdem conficiendi libum, placentam, ſpiram, ſcriblitam aliarumque jam antiquata gulæ deliciarum ſcitamenta. Urb. Caninum prandium! Philom.

XIV. *In re cibaria & veſtiaria parum hodie ſervire veterum præcepta.*

\- - - - - - - paſcite
Paraſitos, obſonate pollucibiliter.
Plaut. Moſtell. I. 1.

Euras. Artes, leges, ſcientiæ ac pleraque omnia progreſſu temporis mutationem ſubiere quamdam, ſed maximam res cibariæ: & facilius animus alios mores, quam gula alium guſtum recipit, ut adeo actum agamus, ſi ex Romanis præceptis tum in re culinaria, tum veſtiaria quiddam ad noſtrum uſum mutuari velimus. Quis enim ſeſe induet tunicis illis pelliceis, ſagis, centonibus, centiculis, manicis, cucullis & galeris? in his igitur mos patriæ omni veterum philoſophia potior ſit. Cætera, quæ ſuperſunt, & ad philoſophiam magis faciunt, cum jam frigida inſtet hiems, domi expediemus, agreſtia tractaturi, dum licebit ad rus redire.

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

INDEX.

A

Abies. *pag.* 143.

Acer 151.

Acidulæ unde naſcantur 118

Adulatorum quœſtus 25.

Advocatorum quœſtus 25.

Ædificia quæ fundum faciant fructuoſiorem 32. Ædificia carioſa ſignum inſalubris loci. 107. Ædificationi quando danda opera. 184. Ædificiorum Luxus damnatur. 185. laudatur decor. 186. Ædificiorum materia. 134.

Aeris temperies in poſitione villæ quærenda. 102. aeris inſalubritas emendari poteſt. 105 aeris ſalubritatem quæ declarent. *ib.* probat ſpecies corporum. 106

Æger, in eis curandis pietas prodeſt. 280

Affines, qui ſint? 258.

Aggenus Urbicus, ejus definitio limitum. 249.

Agrimenſores, quare adhibeantur. 258

Ager. Agricola. Agricultura, ejus antiquitas. 15. ei Summi Viri dederunt operam. 17 agricolarum neceſſarium officium. 19. agrum bene colere Numa præcipit. *ib.* agrum male colere cenſorium probrum. 19. ſine agricultura mortales conſiſtere non poſſent. 20. agricolæ aptiores ad militiam. *ib.* ſunt reliquiæ aureæ ætatis. 22. iisdem terra uſuras reddit. 31. agricola utilitatem ſpectet. 31. ager quo honeſtior, eo fructuoſior. 32. agri modus quis probetur. 33. agricultura humano generi ſalutaris. 40. ager ſæpius reviſendus. 77. agrorum genera. 81. agri regionis genus probandum. 82. ager, qui maxime probetur. 82 agrum optime colere non expedit. 84. ager ſit imbecillior agricola. 85. ager exiguus bene cultus. 85. ager utilior qui ſalubrior. 101. ager malus, cum quo dominus luctatur. *ibid.*

Alnus. 147.

Alluvionis jus. 255. quid circa id Caſſius Longinus ſtatuerit. *ibid.*

Ambulatio commendatur. 50

Animalia noxia ſalubritati ædificii. 140.

Animus ruri liberior. 65.

Apertiones ædificii. 180.

Aqua, ſine aqua arida agricultura. 109. aquarum diverſitas. 110. aqua viva. *ibid.* aquarum ſalubritas qua ratione

VILLE DE LY...
Biblioth. du Palais des ...

ne a Romanis tentata. 111. aqua ciſternarum.*ibid.* an levis? 112. aqua ex nive & glacie.*ib.* aqua ex puteo.113 aqua ex nativis fontibus. *ib.* ex pluviis. *ibid.* aquarum venæ. 114. aquarum ductus ſubterranei. 115. & ſq. aquarum miracula. 111. aquarum ſapor, odor, & color. 117. aqua hieme dulcior. 119. aquæ ex metallis. *ibid.* aquæ levitas. 112. & 119. aquæ frigus. 119. aquæ ſalubris ſignum incolarum ſpecies. 120 aquarum notæ. 121. aqua dulcis, frigida, ſtabilis & unde? 121. aquarum ductus, plumbei canales, tubuli lignei. 121. & ſeq. aquarum ductus indicium magnitudinis Rom. Imp. 123.

Arare minus, quam verrere. 33

Aratrum. Partes ejus. 235

Arbores, iis ſufficit terra quatuor pedum. 94. proceræ an ſignum bonæ terræ? 95. arborum ubertas ſignum ſalubritatis loci. 107. arborum cum homine affinitas. 137. arbores prægnantes vere. *ibid.* arbores cædendæ habita ratione Lunæ. 138.

Arbores finales, quid in eis obſervandum. 249. ubi notatæ ſint videndum. 254. antemiſſæ, quæ ſint. *ibid.*

Areæ qualitates. 172. areæ ſitus. 218. ſtructura. 219

Arenæ qualitas, & diverſitas. 167.

Atrii ornamenta. 188.

Aviaria. quid in eis conducendis obſervandum. 243. 244.

Aura ruri ſalubrior. 47. & ſeq. auræ antelucanæ. 103. aura gratior quam ventus. 105.

Aurum repudiat Curius. 17.

B.

Betula. 148.

Bibliotheca. 193.

Bos ne unquam pereat. 129

C.

Calx. ejus materia, & uſus. 165 quomodo coquenda? 166. quæ probetur? *ibid.* aqua accenditur. *ibid.*

Campeſtre genus agri. 81. & ſq. campeſter locus quis melior. 83

Cardo quid? 253.

Carpinus. 151.

Catonis laus. 38.

Cellæ ſubterraneæ. 89. & 191. cellæ vinariæ. 190.

Cibi ſimplices laudantur. 55. & 64 ciborum multitudo, & varietas damnatur. 57. & 61. cibus Romanis quis familiaris? 59. ciborum ſimplicitas & varietas temperanda. 60. ciborum varietas in urbe cœpit. 61. cibi pretioſi, qui? 63. cibo homo maxime perit. 64.

Cocus & Piſtor idem. 59.

Cœli plaga ad fructus facit. 190

Cœpe cur non edant Peluſiotæ. 141.

Co-

Colere agrum quid ſit? 88.
Collis medius pro villa quærendus. 102.
Collinum genus agri. 81.
Coloniarum deductio agricolarum ruina.
Colonorum ſocordia. 28. coloni indigenæ præferendi exteris. 29. coloniRomani omnes ſub Numa. 24.
Color, eo an æſtimari poſſit terra. 91. & 98. color aquæ an ſit? 117.
Columellæ locus emendatus. 239
- - - operarios tractandi modus. 284.
Columnarum officia. 176. genera. 177.
Comitia nundinis haberi non licebat. 16.
Conſuetudo in victu quid poſſit? 55. & ſeq.
Cors. 241.
Creta, & Argilla apta vitibus. 94
Culina. 192. culina ruſtica. 215
Cultura optima damnatur. 84. culturæ neglectus. 28.
Curculiones, & remedia contra eos. 224.
Currus partes. 232. currus edax, cur? 233.

D

Decor quid? 181.
Decumanus, quid? 253.
Dialectica menſis non adhibenda 69.
Diſpoſitio quid? 169.
Diſtributio quid? 171.
Domini præſentia & induſtria magnos habet fructus. 29. præſentia in prædio. 76. & ſeq. ejus officium in villa. 78.
Dona ampliſſima Imperatorum. 86.
Dulcedo terræ. 93. & 98.

E.

Equus. Varia inſtrumenta ad jungendos eos. 233.
Eſculus. 150.
Eurythmia quid? 170.
Exercitatio corporis neceſſaria. 50. ruri opportuniot. 51. ejus modi. ibid. vehemens noxia. 51. & ſeq.
Expenſorum libri. 203.
Experientia & uſus dominantur in artibus. 75.

F.

Facultatum ratio habenda in ædificiis. 186.
Fagus. 148.
Falx. Vinitoriæ deſcriptio ex Columella. 236.
Famulorum hodie alia ratio quam apud veteres. 295. quare. *ibid.*

Farris gloria. 16.

Feneſtræ. 180. & 218. jugmenta earum. 181. Epicuri & Stoicorum. *ibid.*

Feriæ, quid in iis agendum. 276

Fictiles tubuli aquarum. 122.

Fluminis beneficia. 131.

Fluvius ſit a tergo villæ. 103.

Fœnus quid? 24.

Fœneratorum quœſtus. 24. & ſeq.

Fraxinus. 150.

Frigus aquæ. 119.

Fructuum diverſa eſt natura. 89. & ſeq. fructus terræ bonitatem indicant. 97. & ſeq. fructuum ubertas in noſtra patria. 100. fructuum ſpecies ſignum loci ſalubris. 107.

Frumenti natales. 38. frumentis quæ terram habilem ſignificent? 94. iis terra bipedanea ſufficit. *ibid.* frumenta exterrendi modi. 219. an ſint ventilanda? 223.

Fundamenta ædificii. 183. in iis non licet peccare. *ibid.*

Fundorum diviſio ruina agricolarum. 30. fundus quando quærat villam. 33. fundi forma naturalis. 81. diverſa diverſam ſoli facit conditionem. 83. artificioſa ad utilitatem facit. 83. & ſeq. ejus natura varia. 87.

G.

Gamma quid & unde dictum. 249

Geſtatio commendatur. 51. & ſeq.

Granæorum genera. 222.

Granarii ſtructura & ſitus. 225. alia obſervanda in granario. 228.

H.

Hominum victus quis primus, ſecundus? 14.

Honores ſectantium quœſtus. 25

Horrei inſtrumentorum ſitus. 229.

Hortenſius rigat arbores vino. 156. ejus molles in veſtitu mores. 67.

Hortus ſucidia altera. 40

Hoſpes quis gratus? 127.

Humor in ædificiis inſtrumenta & conditas fruges corrumpit. 104.

I.

Janua. 181.

Ichnographia prædii conficienda. 259.

Ilex. 150.

Imitatio in re ruſtica. 75.

Incolarum ſpecies ſignum ſalubris aquæ. 120.

Inſtrumentorum ruſticorum horreum. 229. ordo obſervandus. 230. numerus. 231.

Inſtrumenta rei agrariæ. 234.

- - - rei pecuariæ. 237.

- - - rei culinariæ. *ibid.*

Invidia quomodo vitanda. 72.

Italiæ laus. 98.

Jugera quot poſſidere Civi & Senatori Rom. licuerit? 86.

Jurgium diſcrepat a lite. 258.

L.

Lætaminis diverſitas. 245.

Lapicidinas quis invenerit? 159

Lapidum uſus varius. 160. lapides quadrati. 160.

Lapides in uſum finium aſſumpti 256. Lateribus plerumque inſcribuntur. *ib.* qui optimi. ib. ob vicinos malos ſæpe viſendi. 257. quomodo & cum quibus. *ibid.* Viſigothorum lex circa hoc. 258.

Larix. 145. larices in Rhætia cæſi. 138.

Laterum inventores. 163. eorum materia. 164. formæ. 165. quomodo ducendi. 164.

Latifundia perdidere Italiam. 33. & 86.

Lectio inſtruit, & non facit artificem. 74.

Leporarium quid. 266.

Levitas quæ. 112. & 115.

Lex XII. tabularum circa contentiones inter vicinos ortas. 258.

Librorum uſus & abuſus. 193.

Lignei canales aquarum. 122.

Limites, quid ſint? 248. varia eorum ſigna. 249. 250. hodierna. 252. varia limites conſtituentia. 254.

Limus & cœnum vitium aquæ. 116.

Loci mutatio ſalubris. 48. an locus conferat ad animi tranquillitatem? 65.

Locupletes unde dicti? 19.

Lunæ ratio in cædenda materia. 138. in tondendis capillis. 138. Lunæ divinitas attributa. 138. & ſeq. Lunæ virtus in oſtreis & conchyliis. 140. in veterinis. 141. in homine. *ib.* in mari. 142.

Luxus in menſa damnatur. 61.

M

Magonis volumina laudantur. 9.

Marmoris ſcalptores primi. 161. ejus uſus & abuſus. ibid. dotes. 162. ſecandi ratio. 163. marmor in templo Dianæ. 163.

Materia ædificiorum. 134. quomodo cædenda? 136. quo anni tempore? 137.

Materies ſemen non habens. 138

Medicamentorum uſus ſublatus ab Aſclepiade. 55.

Medicina cur hodie tam ampla? 56. & ſeq.

Medicus primus Romæ. 48.

Menſa frugalis quæ? 54. menſa Metelli pontificia. 63.

Mercatorum quæſtus. 24. & 25.

Miles fortior ex rure, quam urbe aſſumitur. 20. inſtitutione & exercitio perficitur. 21. exterus an præferendus domeſtico? 21. militaris quæſtus. 25.

Modus fundi præ cæteris adhibendus. 85. & ſeq.

Montanum genus agri. 81. & 82.

Montium officia & beneficia. 103.

Morbos multos multa fercula fecere. 57. & ſeq. morborum origo. 58. & 61. cur tot in urbibus? 61. & ſeq. morbi cæci. 104.

Muſeum. 194.

N.

Nebulæ tenues an ſignum bonæ terræ? 94.

Negotiatorum quœſtus. 25

Negotia in urbe plurima. 66. 70. & ſeq.

Nigræ terræ laus. 93.

Nimbi repentini humilibus locis periculoſi. 103.

Nomina & cognomina Romana a pecudibus & re ruſtica ortum habent. 14.

O

Obſervatio ſui aſſidua in urbe. 67.

Oculus Domini. 77.

Odiis qua ratione ſit vacua vita ruſtica? 71. odia quomodo vitanda? 72.

Odor terræ quis optimus? 97. aquæ an ſit? 117.

Officia domini. 78.

Opera aſſidue adhibenda. 79. & ſeq.

Operarum copia. 132.

Operarum ratio pro diverſitate terræ diverſa. 296.

Operarii, de eorum habitu corporis animique. ibid.

Opifices minus apti ad militiam. 21. 22.

Oppidi vicini commoda. 131.

Oporothecæ ex marmore. 162. & 217.

Ordinatio quid? 169.

Oſtiorum ornamenta. 187.

Otium ruris. 72.

Oves ex animalibus primæ pro victu & veſtitu aſſumptæ. 14.

P.

Pabula luxurioſa an ſignum bonæ terræ? 95.

Paludes noxiæ ædificiis. 103. & ſeq.

Panis toſtus lautioribus dabatur. 59.

Paraſitorum quœſtus. 25.

Paraſitus a menſa abigendus. 281.

Parietum picturæ. 154. parietum genera. 174. ornamenta.

ta. 175. parietes ex marmore & auro. 176.
Partitio in quibus conſiſtat? 173.
Paſcua diu ſolum vectigal. 19.
Patremfamilias vendacem, non emacem oportet eſſe. 45.
Patriæ laus a ſalubritate & fructuum ubertate. 100.
Pecoris ſpecies ſignum loci ſalubris. 107.
Pecunia a pecore dicta. 19.
Pedes cur natura dederit? 52.
Penuria lignorum unde? 157.
Peſtilentia loci emendari poteſt poſitione villæ. 102.
Phidiæ Venus apud Eleos. 291.
Philoſophia an menſis adhibenda? 68. quomodo reprehendat? *ib.*
Picea. 143.
Pinacotheca. 192.
Pineus & Pinaſter. 144.
Pinguis terra quomodo dignoſcatur? 95. & ſeq.
Piſcinæ. 242. earum uſus. *ib.* ubi locandæ ſint. *ib.*
Piſtores quando primi Romæ? 59.
Platanus Dionyſii. 155. Cæſaris. *ib.* Hortenſii. *ib.* Xerxis. 156. Lucinii Muciani. *ib.*
Plauſtrum. 232. ejus partes. *ib.* quot neceſſaria in prædio. 233. varia eorum genera. *ib.*
Plauti canes, qui vocentur. 263.
Plumbei canales aquarum. 122.
Populus. 152.
Prædium ſuburbanum commodiſſimum. 77. prædium mercaturus quid cogitare debeat? *ibid.*
Præſentia domini quantum præſtet. 76.
Proceres civitatis ex agris aſſumpti. 15.
Proventuum libri. 201.
Pultes punica quomodo coquatur. 299.

Q

Quercus. 194.

R.

Rationum libri. 201.
Regionis genus probandum agrum empturo. 82. regionis qualitates. 171.
Rigor quid. 253.
Robur. 149. vere cæſum. 137. & ſeq.
Ruſtica res. Ruſticatio. rei ruſticæ quæ cauſa ruinæ? 4. & 28. res ruſtica ars & ſcientia. 5. a magnis ſcriptoribus tractata. 7. & 8. de ea præcipere principale fuit. 8. a Græcis, Romaniſque inſtitutionem accepit. 9. fructus quos habeat? 10. ab eruditis male negligitur. 10. & 11. diſcentibus eget & magiſtris. 11. Aſſyriis, Perſis & Ægyptiis apprime curæ fuit. 13. ejus natales apud Romanos. 14. res ruſtica ſordidum & pudendum opus male dicitur. 15. & 26. ruſticæ tribus laudatiſſimæ. 16. ruſticationis cura gloriæ fuit. 16. ruſtica plebs ſemper præpoſita urbanæ. 18. ruſtici in pace alunt, in bello tuentur cives. 19. ruſtici ob communem utilitatem cæteris prælati. 19. ruſticæ rei fructus per annum. 27. quæſtus honeſtus & ingenuus. 24. & ſeq. jucunditas ex naturæ fœcunditate. 38 & ſeq. ruri aura ſalubrior. 47 rus cultiſſimum quis habeat. 75.

 S. Sa-

S.

Sacrum dirimendorum finium. 250. variæ ceremoniæ in eodem obſervatæ. *ib.* ejuſdem origo. 251. ejuſdem ex Ovidio deſcriptio. *ib.*
Salix. 152.
Saltatio. 52.
Saluber locus quis? 106. ſalubriora fructuoſiora. 99. ſalubritas noſtræ plagæ. 100. ſalubritatem loci primo ſpectabant Itali. 101. ſalubritas aeris non eſt in noſtra poteſtate. *ib.* ſalubritas poſitione villæ acquiri poteſt. 102.
Sapientis eſt, non ubique emere. 101.
Sapor terræ quomodo dignoſcatur? 93. qualis eſſe debeat? 97. ſapor aquæ an detur? 117. unde noſcatur. 118.
Scala. 182.
Scipionis villa laudatur. 176.
Scriptores veteres de re ruſtica utiliter leguntur. 8. & ſq. antiqui conſulendi in re ruſtica. 76.
Segetes campeſtres. 82.
Senectus loquacior. 40. ſenes cur ſerant arbores? *ib.*
Sepes. Pro finibus. 254. ſepis interſtitium nunquam in controverſiam veniebat. 260. commoda. *ib.* Democriti ſententia circa plantationem. 261. ejus ratio. 261. ex palis. 262. fabrilis. 264. militaris. 263. ubi fieri conſueverit. *ib.*
Sepimentum vivariorum. 265. quomodo inſtituatur. 266.
Serendum manu, non thylaco. 84 ſerere minus ſatius & melius arare. 86.
Sermones convivales quales ſint? 68. ſermonis libertas in villis. 69. & ſeq.
Servi mali agrorum cultores. 29. & ſeq.
Signinum opus. 227.
Silices fluviatiles. 160.
Silvæ montanæ. 82. ſilvarum excidium. 133. ruina. 157. ſilvæ emolumenta. 156.
Simmetria quid? 170.
Simplicitas vitæ ruri habetur. 67 non tuta in urbe. 71.
Situs villæ quantum conferat ad ſalubritatem loci? 102.
Somnus a prandio & cœna noxius. 50.
Stabulum. differt a caula. 239. de ſitu ſtabulorum. 240. in ovili, bovino, & equino quid obſervandum. 244.
Stercorans agrum Laertes. 39.
Stercoratio. ejus inventor. 242 immortalitate donatur. *ibid.* neceſſitas ejus & magna utilitas. 243.
Stercus. quod & quando utile. 245. triplex ejuſdem genus. *ib.* turdorum optimum. *ibid.* Columella teſte aſininum. 246
Sterquilinium. ejus ſtructura. 243. roboreo palo muniendum, quare? 244. materia ejuſdem. *ib.*
Stolonis lex. 33.
Stomachus paterfamilias. 58.
Stramentum quid. 241.
Suber. 150.
Sulſa terra. 93.

T

Tabularium. 188. tabularii utilitas. 195. origo. 196. ſtructura. 197. mundities. 198. ſuppel-

ſuppellex. 199. miniſtri. 200. eorum officia. *ib.* tabularii inſtructio. 204. & ſeq. tabularium eccleſiaſticum. 206. civile. 208. tabularii libri. 210 indices. 211. & ſeq.
Taxus. 146.
Tecta conſervanda. 178. tectorum genera. 179. ornamenta. 180.
Templum Dianæ. 163. & 178.
Terra. an hodie minus fœcunda. 34. & ſeq. ejus natura varia. 87. & ſeq. quæ præſtabilior? 88. terræ genus quod deterrimum. *ibid.* terræ tria diſcrimina. 89. conditio ex fructibus dignoſcitur. *ib.* terræ bonitati non omnia tribuenda. 90. terræ nimium calidæ, prægelidæ, humidæ, nimium ſiccæ, perdenſæ, ſupra modum raræ, gravis, levis, pinguiſſimæ, & macræ effectus. 90. & ſeq. terra mater cur dicatur? 91. carioſa quæ? 91. terræ color & dulcedo. 92. & ſeq. terra falſa. 93. quæ vitibus inimica & amica? 93. & ſeq. terram quæ frumentis habilem ſignificent? 94 terra amara, macra, frigida quomodo dignoſcatur. 94. pinguis, gravis, ſpiſſa, & levis quomodo dignoſcatur? 95. & ſeq. tenera quæ? 96. & ſeq. terræ odor quis optimus? 97. terra quæ optima? 97. ſicca & ſpiſſa, macra, & frigida deterrima. 98.
Tilia. 151.
Tranquillitas animi ruri habetur, & confert valetudini. 65.
Tributa quibus rebus imponenda? 31.
Triſpithami pygmæi apud Plinium. 34.
Tuſculum Ciceronis laudatur. 53

V

Valles & humidiora loca cur minus ſalubria? 108.
M. Varro qua ratione exercitum a peſte ſervaverit? 102.
Venatio commendatur. 53.
Venter multos homines exercet. 61. ejus cauſa pars major hominum vivit, & perit. 64.
Venti graviores poſitione villæ vitandi. 103. ventorum vis auram mutat. 105. eorum officia & beneficia. 106.
Venus palatina L. Craſſus. 161
Vepres pro finibus ſerviunt. 254
Vere arbores ſunt prægnantes. 137.
Veſtibulum quid? 157.
Veſtium luxus in urbe. 67.
Via militaris noxia ædificiis. 104 viæ commodæ voluptas & utilitas. 124. & ſeq. viæ publicæ incommoda. 126.
Vicini boni commoda. 127. mali incommoda. 129.
Victus ratio habenda pro valetudine. 55. & ſeq.
Villæ ruſticæ olim majores, quam urbanæ. 32. villa non quærat fundum. 33. villæ ſitus quis optimus? 102. & ſeq. quo loco ponenda? 104. & 106. villæ ruſticæ ſitus. 214. cubicula & culina. 215. venuſtas. 216.
Villica. domeſtica negotia curet. 287. qua forma & ætate eſſe debeat. 289. alias mulieres non frequentet. *ib.* Catonis præclara ſententia. *ib.* a

vino & ſuperſtitione aliena ſit. 290. animadverſiones in vinoſas apud veteres. 291. domi ſua curet. ib. nominis Etymon. 292. munda ſit. 293. ſupellectilem & apothecam curet. ib.
Villicus. qui ſit. 267. cur paucorum prædia a villico colantur. ib. qualis eſſe debeat. 269. qui inhabiles ſint. ibid. Catonis de eo monitum. 271. quomodo inſtituendus. 272. indigena eſſe debet. 273. an & Aſtrologus? 274. religioſus ſit. 276. & fidus. 279. ſobrius & continens. ib. curam pro ſuis gerat. 280. familiam exerceat. 281. nec non opera ipſe curet. 282. quæ mane & veſperi illi agenda. 283. alios inſtruat. 284. miniſtros ſeligat. 285. villicus quomodo continendus in officio? 77.
Vina collina. 82.
Viri boni laus. 19.
Vita ruſtica eſt urbana antiquior. 12. a Deo tradita. 13. a primis Romanis culta. 14. disjuncta a pravis cupiditatibus. 21. parſimoniæ, juſtitiæ, & diligentiæ magiſtra. 22. vitiis caret. 22. & ſeq. paſtoricia antiquior agricultura. 15.
Vitis natura. 39. vitibus inimica falſa terra. 93. iis quæ aptiſſima. 94.
Vivaria. 265. quis eorum inventor. 266.
Unguenta quæ optima? 97.
Vocis intentio laudatur. 52.
Voluptas ex arboribus. 164.
Urbes ab hominibus inventæ. 13. urbis vitia. 22. moleſtiæ. ib. 42. & 66. negotia. 70. & ſeq. luxus damnatur. 60. & ſeq. in urbem cur tot homines convolent? 48. urbanæ res nonis agebantur. 16. urbanus nil boni cogitat. 22.
Uſus & experientia dominantur in artibus. 75.

AUGUSTÆ VINDEL.
Typis
CHRISTIANI DECKARDT.

VILLE DE LYON
Biblioth. du Palais des Arts

Benevole Lector!

Typi errores corriges: eorum quosdam obvios hic notavi.

Pag.	*Lin.*	*menda*		*emenda.*
2.	25.	ſi manu	-	ſi in manu
26.	ult.	& Scriptoribus		ex Scriptoribus
51.	6,	licet -	-	liceat
51.	29.	inquiens	-	inquit Seneca Epiſt. 15.
62.	22.	qua -	-	quæ
65.	3.	ne quidem	-	me quidem
77.	25.	melior	-	melios
85.	10.	exoluiſſet	-	excoluiſſet
91.	2.	per denſos	-	per denſam
91.	20.	ita -	-	iſta
99.	penult.	in tenus	-	intus
107.	10.	ventro	-	ventre
120.	17.	Columella	-	Columellæ
134.	12.	lucret -	-	lueret
134.	25.	plaxisque	-	planisque
147.	8.	toxica	-	taxica
160.	15.	moralitate	-	mortalitate
202.	1.	merces	-	mercedes
207.	18,	poſſeſſio	-	poſſeſſiones
212.	3.	confecta	-	confecto
213.	6.	ſummation	-	ſummatim
214.	23.	opera -	-	operam
216.	7.	bubulis	-	bubulcis

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google